eſt, illam pluries in die ſublatam fuiſſe ad cælum uſque, ut angelorum conſuetudine perfrueretur, donec tandem cor ejus non valens ultra ferre hujus amoris impetum, ſancto aruit languore, & ſpiritus ejus ſurſum tendit, ut ſe cum ſuo Salvatore, quem ardentiſſime dilexerat, jungeret. Ita amor ejus victoriam de morte retulit; perſeveravit etiam poſt mortem, atque in omnem perſeverabit ætatem, ad probandum oraculum, quod de illa Salvator protulerat: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* (*Luc.* 10.) *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Vis quam habet humanus reſpectus in animo plerorumque mortalium magnus eſt virtutis inimicus: ut illã ſuperemus Magdalenæ exemplo edocemur.

Quis neſcit quid valeat in corde adhuc nutanti, ac parum confirmato in ſervitute Dei, quid valeat, inquam, humanorum judiciorum timor, ſermonum, irriſionum cenſurarumque formido? Hoc vocatur humanus reſpectus, pietatis, & Religionis inimicus. Ex communi omnium ſententia magna mentis fortitudo requiritur ad grave prælium hoc ſuſtinendum, ad contemnenda ea, quæ de nobis dicere, & cogitare homines poſſunt, & videmus pleroſque eorum, qui ſe mancipant Deo gravi hac tentatione commoveri. Accidit etiam crebro, ut qui metu infamiæ a malo deterreri non potuerunt, non auſos fuiſſe operari bonum, præ timore, ne nomini ſuo obtrectaretur. Talis eſt hominum infirmitas hac in re. Proh noſtri ſæculi probrum! Salvianus exclamat; numquid Chriſtiana Religio facta eſt Salvatoris opprobrium, qui tantum abeſt, ut teſtes, & martyres inveniat, qui cauſſam ſuam tueantur, ne audent quidem palam fidem illius profiteri? Quanam vero fortitudine S. Magdalena magnum hunc obicem ſuperavit? Nonne jure S. Auguſtinus illam *Frontoſam ad ſalutem* appellavit, hoc eſt illam effrontem factam fuiſſe, ut quælibet hominum dicteria ipſi nullum ruborem ſuffunderent; illam hominum nequaquam extimuiſſe judicia, illam nullo in diſcrimine habuiſſe utrum apud eos bene audiret, an male; ſed oportuiſſe, ut magna illius caritas eſſet ad hoc, ut foras ejiceret timorem hunc, qui licet in ſe inanis, & ridiculus ſit, non ideo minus magnus eſt conſiliis melioribus obex. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Ex Magdalenæ converſione deſumi poteſt occaſio contra humanos reſpectus invehēdi; qui maximus eſt converſioni obex in plurimis.

Pudor magnus eſt obex, qui hodierna die plurimorum converſioni adverſatur, & non ſine admirabili rerum permutatione, ille, cui ſatis virium non fuit, ut prohiberet, ne quis omnibus ſeſe flagitiis ingurgitaret, nimis habet virium, ne ab illis recedat. Non puduit in ſceleribus vivere, vivere in mediocritate aurea pudet. Hoc olim ævi ſui peccatoribus exprobrat Tertullianus, qui in hac re nimis pavidi, & delicati: *Explicuiſti frontem ad delinquendum, & ad recte agendum contrahes.* (*Lib.* 4. *contra Marcio. c.*) Heu humana ratio, hominum timor, inanis reſpectus itane optima quælibet eludis conſilia, ac in irritum abire jubes quidquid ſanctiſſime inſtitutum eſt? Itane efficis, ut eorum, quæ bona ſunt nos pudeat? Videte mundanam hanc mulierem, cui ſatis virium fuit, ut conſanguineorum querimonias, & probra, publicos totius civitatis rumores, cui ſcandalum præbuit, Confeſſarii correctiones, frequentes ſtimulos ac latratus conſcientiæ ob affectiones, ob converſationes nimium liberas, ob oris habitum nimis feſtivum, ac hilarem ſuſtineret; ſed metuet illa ne quid de ſe dicatur, ſi vitæ rationem mutet, ſi verecundius ornata incedat, & pietatem colere videatur. Ita eſt, crudelis hic timor, & humanus reſpectus, ſoporem immittit ſtimulis conſcientiæ, omnibus Spiritus Sancti gratiis reſiſtit, vim facit optimis ſtudiis, quibus a natura largius donata fuerat, atque ut verbo me expediam, efficit, ut illam pudeat non eſſe impudentem. Heu! nos pudeat potius tandiu in ſceleribus fuiſſe verſatos, nimis ſero noſmet Deo devoviſſe, non ſatis cito illum amaſſe, neque ſatis fideliter illi famulatos fuiſſe. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Rigores Pœnitentiæ Magdalenæ, quos omnis peccator imitari debet ad reparandam injuriã, quã peccata ſua Domino intulerunt.

Pœnitentia reparatio eſt, vel ſatisfactio, quam peccator Deo offert, puniens in ſe injuriam, quam intulit illi, ſecundum eam notionem, quæ a S. Auguſtino traditur. *Et dolentis vindicta puniens in ſe, quod dolet admiſiſſe.* Senſum hunc Sancta Magdalena excepit; amor enim quo Deum proſecuta eſt, excivit in illa ſanctum odium in ſe ipſam, effecitque, ut ipſa propria expiaret peccata rigore earum auſteritatum, quæ pœnam, meritumque ſæviſſimorum etiam cruciatuum exæquarunt, ſi reſpexerimus cauſſam, propter quam illas ſubiit, & paſſionum illius diuturnitatem. Ex quo enim vidit Salvatorem ſuum animam in Cruce efflantem, in corde ſuo ſervavit imaginem dolorum ipſius; cœpit terram univerſam tanquam Calvarium, omneſque homines tanquam mortis ejuſdem auctores cogitare: Sed animadvertens peccata ſua mortis ejuſdem cauſſam fuiſſe, illa in proprio corpore punire voluit jejuniis, aliiſque rigoribus pœnitentiæ, quæ eumdem cum vita finem invenit. Receſſit in remotiſſimæ ſolitudinis horrorem, ubi Cælum habens pro teſte, Angelos pro ſociis, humum pro cubili, cilicium, capilloſque ſuos pro veſtibus, ſine ulla intermiſſione pœnitentiam ſuam ad obitum uſque perduxit. Omnia jam vanitatum, ſcelerumque ſuorum inſtrumenta pœnitentiæ devoverat, ſed modo eorum contrariis in ſe ſua perſequitur crimina. Heus tu ſolitudo, inquit, ulciſceris in me tot ſodalitatum ſcandalum, quibus olim oblectabar; ſilentium, reparabis in me tot parum pudicos ſermones, & inutilia colloquia; terra, quæ mihi pro lectulo futura es, expiabis tot delicias, quibus olim corpori meo blandita fui; cilicium, punies in me luxum, & indumentorum curam, quæ tandiu fuit mearum vanitatum objectum. Opus eſt, ut ſingula corporis mei membra ſingularem, propriumque habeant cruciatum, quoniam nullum eorum culpa vacat. Oculi igitur mei non ceſſabunt manare lacrimis; cor meum ſingultus emittere, ac temporum injuriæ cum amore meo conjurabunt, ut Deo ſatisfaciam, quem tot modis offendi. Hoc præbuit Magdalena perfectiſſimum, & abſolutiſſimum, quod uſpiam eſſe potuerit, pœnitentiæ exemplum, *Auctor ſermonum in omnia argumenta.*

Pauci ſequuntur Magdalenæ pœnitentis exemplum, illius ante flagitia ſecuti.

Quot mortales hodierna die Magdalenam in criminibus imitantur, ſed quotuſquiſque illam ſequitur in pœnitentia? Hæc tamen unica via eſt, quæ nobis ſupereſt innocentiam, a nobis per ſcelus amiſſam reparandi, atque ſatisfaciendi Deo, toties a nobis laceſſito. Si hæc duo tantum verba rite aſſecuti fuiſſemus, Deum læſum: infinitam hanc Majeſtatem a miſerrimo terræ vermiculo offenſam. Heu! Deum læſum! Hæc fuit cauſſa, hoc initium converſionis Magdalenæ: ad hanc mentis cogitationem nunquam exhauriri deberent lacrimæ noſtræ, & cor ipſum præ dolore confringendum eſſet. Nobis adoptandi eſſent Sancti Auguſtini ſenſus: *Quid mihi reſtat, niſi flere, & dolere?* (*Lib. de vera, & falſa pœnitentia* 13.) Poſt tot in Deum infidelitates, quid reliquum nobis eſt, niſi ut lacrymis illas eluamus, & ſignificemus ſincerum dolorem, quem inde concipimus? Sed non decet ſterilem hunc eſſe dolorem, quoniam efficere debet, ut omnino relinquamus peccatum, quod deteſtamur, vitæ rationem mutemus vera converſione, quæ hoc nomine merito nuncupari poſſit, & quæ complectitur generalem reformationem votorum, actionum, habituum, ſolatiorum, ac tandem hominis totius; quippe ea omnia amare debemus, quæ horruimus, & horrere quæcumque amavimus, verbo, mores vitamque mutare. *Idem.*

PRO SANCTI JACOBI MAJORIS PANEGYRICO.

MONITUM.

Quamvis Evangelium nequaquam fuſiori enarratione S. Jacobi Apoſtoli virtutes, & prærogativas nobis exponat, ea tamen quæ dicit, ſatis amplam nobis rerum copiam ſuppeditant, ut prolixum laudum illius texere valeamus elogium. Ibi legimus vocationem ejus ad Apoſtolatum ab aliorum Apoſtolorum vocatione diſtinctam; ibi videmus ſigna, & effectus peculiaris Filii Dei erga illum benevolentiæ; ac tandem ejus mortem, atque Martyrium, cujus deſcriptionem Sacer Textus nobis proponit, ſatis ſolidum ſubſternunt fundamentum, ut panegyricam Orationem habere poſſimus.

Equidem ſcio gratias haſce illi eſſe cum S. Joanne communes, donec ſimul Magiſtro Dominoque ſuo ſervierunt; ſed cum illorum ſors, ac miniſterium in reliquum vitæ ipſorum ſpatium fuerit adeo diverſum, hoc prohibere non poteſt, quominus de S. Jacobo peculiarem Sermonem inſtituamus, poſtquam abunde ſuppeditavimus unde Sancti Joannis Panegyrica Oratio poſſit ornari.

Duo tantum nobis negotium faceſſunt. Primum eſt, pleroſque eorum, qui de magno hoc Apoſtolo verba fecerunt, nequaquam duos fratres ſecreviſſe, quaſi eorum meritum non eſſet ſingulare, & perſonale. Alterum, eos qui ſingillatim illius concinnarunt elogium, uni potiſſimum inhæſiſſe circumſtantiæ, quam maximi quidem fecerunt, quæ tamen omni caret probabilitate, videlicet utrumque proximos fuiſſe Salvatoris conſanguineos, quod ad S. Jacobum Minorem unice pertinet, quem S. Paulus fratrem Domini appellat. Itaque quin labanti fundamento innitamur, non exiguam comparavimus ſupellectilem, præſertim vero ex morum diſciplina, hujus argumenti propriam, ut ſupplere abunde valeamus iis, quæ ex Sanctorum Patrum, aliorumque Auctorum penu, deſiderantur.

PARA-

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Orationum hujus Argumenti ſtructura.

I. AD Magni Sancti Jacobi, quem Majorem vocamus, ne cum alio cognomine, qui fuit Jeroſolymitanus Antiſtes, & quem Sanctus Paulus Fratrem Domini appellat, confundamus, elogium texendum; ad illius inquam, qui in Evangelio Zebedæi filius appellatur, encomium celebrandum aſſero, Mundi Salvatorem ambitionem illi ſuperaſſe, eique majus contuliſſe donum eo, quo hic Apoſtolus per Matrem ſuam ab illo petierat. Propoſitionis hujus, quæ Magni hujus Apoſtoli encomium factura eſt, probatio innititur iis privilegiis, quæ Deus illi conceſſit iis in rebus, quas ipſi reſpicere conſuevimus tanquam magis glorioſas, & ad ambitionem noſtram ciendam magis appoſitas.

1. Illi tribuens peculiarem locum in Schola ſua, atque inter primos Diſcipulos ſuos referens, quod ſine dubitatione quoddam prælationis genus eſt inter reliquos.

2. Tribuens illi inter Apoſtolos inſignem, diſtinctumque locum, & illum eorum numero adſcribens, qui futuri erant Eccleſiæ columnæ.

3. Tribuens denique illi Majorem Calicis, cruciſque ſuæ partem, quam aliis pluribus, quam gratiam nonniſi ſibi amiciſſimis, ac primi Ordinis Sanctis largitus eſt. Ita peculiaris amor, quo Dei Filius S. Jacobum aliis longe plurimis prætulit; locus, & ordo, quem illi inter Apoſtolos ſuos contulit, inter primos ad Apoſtolatum illum evocans; pars, quam illum habere voluit ex Calice paſſionum ſuarum, tria ſunt beneficia, ac tres prærogativæ, quas non dubito tres vocare fontes gloriæ, qui illuſtrem hunc Apoſtolum altius evexerunt, quam ejus mater optaverat, & quam ipſe cupere auſus fuerat. Hæc erit laudum ejus, meique Sermonis partitio. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

II. In S. Jacobo conſideranda ſunt illius Vocatio, Miſſio, Martyrium, & ſecundum hæc tria poteſt oſtendi.

1. S. Jacobum in vocatione ſua perfectam prætuliſſe obedientiam, relinquendo patrem, & matrem, omnem poſſidendi ſpem, nexus omnes, ac neceſſitudines, quas habere poterat in Mundo, ut Salvatorem ſequeretur.

2. Heroicam oſtendiſſe fortitudinem, ac zelum omni carentem fine, ſuſtinendo adverſa omnia, quæ ſibi a Judæis concivibus ſuis accidere poterant, cum ad eorum converſionem adlaborabat, & omnes itinerum labores, injurias, ac repulſas Ethnicorum, cum Hiſpanias peragrabat illis Evangelium nunciaturus.

3. Oſtendiſſe robur invictum calicem hauriens, quem ſe bibiturum ſpoponderat Deo, cum invicta conſtantia ſubiit Martyrium.

III. Tria peculiaria in Sancto Jacobo Majori diſtingui poſſunt, cum aliis Apoſtolis nequaquam communia, & quæ præbere poſſunt panegyricæ orationis argumentum.

1. Quod a J. C. peculiare nomen receperit, cujus ſignificationem omnibus in circumſtantiis replevit.

2. Quod omnium Diſcipulorum primus extra Judæam J. Chriſti nomen prædicaverit hac mente, ut cognoſcendum traderet Dominum Ethnicis uſque ad extremos Europæ terminos.

3. Quod primus ex Apoſtolis martyrium pertulerit, quin aliud ob oculos haberet exemplum, quo confirmaretur, præter illud Sancti Stephani, qui ſolus illi præceſſerat.

IV. Mater S. Jacobi, vel potius ipſe Jacobus parentis ſuæ precibus ſibi, fratrique ſuo primos in Regno Salvatoris petiit recubitus: Sed cum illi Salvator reddidiſſet: *Poteſtiſne bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* S. Jacobus reſpondit, *Poſſumus*, & verbo reſpondit effectus; quia neque vocationis paupertas, neque miſſionis difficultas, & labor, neque propriæ vitæ ſacrificium, & martyrii ſui rigor potuerunt unquam prohibere, ne exequeretur, quod ope gratiæ ſe facturum eſſe præſentiebat, & quod ipſum reipſa facturum eſſe Magiſter ſuus affirmaverat: *Calicem quidem meum bibetis*; quod opere implevit, nam.

1. Perfecta obedientia omnes vocationis ſuæ ærumnas paſſus eſt.

2. Infatigabili zelo omnes hauſit miſſionis ſuæ labores, & difficultates.

3. Invicta conſtantia de omnibus martyrii ſui cruciatibus triumphavit. *Deſumptum ex Elogiis hiſtoricis.*

V. Quidnam S. Jacobum unum ex iis reddiderit Apoſtolis, qui præ ceteris eminebant? Hoc, favor, quo Dominus illum dignatus eſt, pauciſſimis aliis conceſſus. Quippe Dei Filius nihil ſecretum concepit, quod huic non aperuerit: nihil magnum executus eſt, quod coram illo non fecerit; nihil triſte paſſus eſt, de quo illum participem eſſe noluerit. In Thabor didicit quidquid ab æterno præparatum a Deo fuit, ipſum fideliter in tempore diligentibus. In domo Principis Synagogæ vidit reſurrectionem filiæ hujus; & in Horto Olivarum mortalem Domini ſui agoniam videre non potuit quin miſceret lacrimas rivulis ſanguinis ex omnibus venis ejuſdem fluentis. Et ſi fas eſt de illius felicitate judicium ferre in cælo, ex favoribus, quos recepit in Eccleſia; citra aliorum Apoſtolorum injuriam, credere poſſumus.

1. Hunc non minorem habere partem gloriæ Magiſtri ſui in cælo, quam ſecretorum ejus habuerit in terra.

2. Non minus potentem eſſe in operibus in Regno Salvatoris, quam fuerit in terra per ea prodigia, quæ adjuvante gratia Filii Dei ibi operatus eſt.

3. Eo magis in gloria ſublimem, quo conſtantior ejus caritas fuit inter paſſiones, & in martyrio. *Ex P. Senault Oratorii Presbytero.*

Dei unius eſt dare *nomina plena*, quemadmodum a S. Baſilio appellantur; nomina operantia quod ſignificant, & replentia omnem ſenſus, quem continent, latitudinem; cujus rei in glorioſo Apoſtolo S. Jacobo habemus exemplum. Vix Jeſus Chriſtus illum tonitrui filium appellavit, cum illi omnes tribuit qualitates, quæ requirebantur, ut ille tanti nominis dignitatem ſuſtineret. Et ſane ex D. Thoma tria ſunt fulminum genera, quorum aliud penetrat, aliud agit, aliud emicat. Non operoſum eſt in S. Jacobi vita triplicem hanc cum fulmine ſimilitudinem invenire. Quippe. VI.

1. Primus eſt Apoſtolorum qui prædicationis ſuæ luce triumphum egerit de Idololatrarum pertinacia, atque Ethnicæ ſuperſtitionis tenebras penetraverit.

2. Primus omnium eſt, qui Martyrii ſui conſtantia fregerit Judæorum duritiem, & Synagogæ ſuperbiam contriverit.

3. Poſt mortem denique ex omnibus ſolus eſt, qui undequaque Chriſtianos ad ſuum tumulum pertrahens, ſeſe profeſſus fuerit viſibilem Eccleſiæ Patronum. *Ex ſpecimine Orationum panegyricarum.*

Veritas eſt Religione comperta, & explorata non aliam eſſe viam, qua in Cælum quis ingredi poſſit, quam paſſionum; Sed hanc Salvator non poterat divinius nobis oſtendere, quam ambitioſæ matris pro duobus filiis ſuis primos in Regno ſuo recubitus poſtulantis, reſpondens his verbis: *Poteſtis bibere calicem?* &c. Ad primas regni mei ſedes contenditis; ſed ſcitote neminem in cælo mecum regnare poſſe, niſi mecum in terra paſſus fuerit; & niſi & vos hauſeritis ex fæce illius calicis, quem ego ſum bibiturus. Unus ex his Diſcipulis erat S. Jacobus, qui cum fratre generoſe reſpondit: *Poſſumus*. Et profecto præſtitit fidem. Etenim. VII.

1. Non ſolum hauſit omnem hujus calicis amaritudinem, ut Salvator.

2. Bibit autem cum fortitudine, heroicaque conſtantia, ut divinus Magiſter.

3. Immo illum in anteceſſum potavit, & diu ante mortem ſuam, ut Dei Filius. *Ex eodem Specimine.*

Inſtitui poteſt ſatis amplum, & copioſum morum Diſciplinæ argumentum explicando, quomodo calix iſte, de quo Dei Filius ad S. Jacobum verba facit, ſunt tribulationes, quomodo S. Jacobus illum epotaverit conſtanter ſuſtinens Martyrium: quomodo tandem & ipſi illius participes eſſe debemus, eumque cum amore bibere, S. hujus Apoſtoli exemplo. VIII.

1. Dominus Noſter, omnia quæ accidebant recipiens tanquam a Patris ſui manu profecta Paſſionem ſuam Calicis nomine nuncupabat, & S. Jacobum interrogans, utrum ſecum bibiturus eſſet eumdem, illum invitabat, & cogebat fortiter æque, ac ſuaviter, ut ejuſdem particeps fieret. Quamobrem Apoſtolus noſter, qui adeo miſeram fecerat petitionem, locupletem reddit reſponſionem hoc verbo; *Poſſumus.*

2. Nemo unus ignorat, quod cum S. Jacobo cervices fuerint præciſæ, quemadmodum Acta teſtantur, illum æquo, lubentique animo, ut ſpoponderat, calicem epotaſſe; illum, a quo in carcerem conjectus fuerat, deoſculatum fuiſſe, eique benedixiſſe, ac impetraſſe gratiam una ſecum Martyrii ſuſtinendi; Sed calicis ſui majorem fuiſſe amaritudinem, quod unicum hominem hunc converterat, & præterea paucos, idque contra ardentiſſimum illius votum, quo totius mundi converſionem, & ſalutem optabat.

3. Ut participes eo modo fiamus Dominici calicis, nobiſmet ipſis fortiter perſuadere debemus, nihil adverſi contingere, quod Divina non accidat voluntate. Partem hanc noſtrarum tribulationum calicem eſſe, qui nobis cum actione gratiarum bibendus eſt juxta S. Jacobi exemplum: aliam quamlibet Crucem a nobis adoptatam vel parvi, vel nullius meriti prorſus futuram, habita comparatione illius, quam a nobis deferri vult Deus, ubi a liberali ejus manu illam recipiamus. Poſſumuſne rationabiliter id reſpuere, quod infinita Dei bonitas ſaluti noſtræ proprium eſſe arbitratur?

Secundum ea, quæ in Evangelio leguntur eo die, qui S. Jacobo ſacer eſt, animadvertere poſſumus, tres turpes, ac infames animi affectiones ciere in anima ambitionem; ideoque nihil in origine illius non vitioſum deprehendi. Prima eſt ignorantia, altera præſumptio, tertia invidia eſt. IX.

Prima nobis exprimitur per correptionem, qua Salvator utrumque fratrem increpuit prima in Regno ſuo ſibi depoſcentem ſubſellia: *Neſcitis, quid petatis*; Et ignorantia quæ illorum excitat ambitionem.

Altera indigitatur eo verbo, quod reddiderunt magiſtro interroganti, utrum bibere poſſent calicem, quem ille bibiturus erat. *Poſſumus.* Hæc illorum præſumptio eſt.

Tertia nobis ſignificatur oratione, qua ipſi cum matre Dei Filium deprecantur, ut cum aliorum Apoſtolorum injuria ſedeant, alter quidem ad dexteram, alter vero ad ſiniſtram in regno illius. *Dic ut duo filii mei ſedeant, unus ad dexteram, & alter ad ſiniſtram in regno tuo.* Hæc eorum invidia, & æmulatio. Ex tribus hiſce partibus fieri poteſt Oratio Panegyrica morum præceptis affluens: *Ex Quadrageſima Formentieres.*

PARA-

BIBLIOTECA CENTRAL

PARAGRAPHUS II.

Fontes, unde hauriri copia poſſit ad has concionum Structuras exornandas, & Auctores de hoc argumento tractantes.

SAnctus Auguſtinus in S. Joannem, Homil. 109. latius verba facit de SS. Jacobi, & Joannis vocatione.

Idem, *in ad. cap.* 17. verba facit de S. Jacobi petitione, qua Dominum oravit, ut de cælo in Samaritanos ignem eliceret.

S. Ambroſius *de fide lib.* 5. *cap.* 2. loquitur de petitione Matris Filiorum Zebedæi, & de cauſſa, propter quam duo ipſi Diſcipuli illam coegerunt, ut peteret.

Idem *in S. Lucam* explicat, quo ſpiritu agerentur Sancti Jacobus, & Joannes, cum popoſcerant, ut de Cælo ignis in Samaritanos dilaberetur.

S. Hieronymus *in S. Matthæum*, ubi loquitur de petitione Diſcipulorum per Matrem facta, tenet illis magnum fuiſſe de Jeſu Chriſti Regno conceptum.

Idem *in Evangel. cap.* 47. oſtendit, S. Jacobum inter Apoſtolos eumdem obtinere gradum, quem S. Stephanus inter Martyres obtinet, eumque Apoſtolorum primitias eſſe vocandum.

S. Chryſoſtomus fuſius verba facit *Homil.* 57, *in Matth.* de morte S. Jacobi.

S. Hilarius *lib.* 16. *de Trinit.* loquitur de Sanctorum Jacobi, & Joannis privilegio, qui ſpectatores fuere Transfigurationis Filii Dei.

S. Epiphanius *hæreſ.* 58. & 78. ait S. Jacobum æque ac S. Joannem Virgines permanſiſſe; ideoque utrumque hunc Apoſtolum magnis laudibus celebrat.

Theodoretus *in Pſalm.* 67. loquitur de patria, ortu, & profeſſione SS. Jacobi, & Joannis.

Euſebius *lib.* 2. *cap.* 1. loquitur de duorum filiorum Zebedæi privilegiis, & de eorum humilitate poſt Salvatoris aſcenſionem, & adfert S. Clementis Alexandrini teſtimonium.

Idem *lib.* 2. *cap.* 9. eumdem memorans S. Clementem, fuſius narrat converſionem illius, qui S. Jacobi nomen apud Judices detulerat.

S. Sophronius *cap.* 5. loquitur de populis, quibus S. Jacobus prædicavit Evangelium.

Origenes *in Matth.* habet Elogium Salome, quam ſupponit Matrem S. Jacobi Majoris, cumque Sancta illa Mulier in itineribus ſubſequeretur Jeſum Chriſtum, illius gloriam in S. Jacobi laudem traducit.

Idem *lib.* 1. *contra Celſum* iis laudibus S. Jacobum celebrat, quæ eumdem ſuper S. Petrum aliquo modo videntur attollere.

Venerabilis Beda homiliam habet de S. Jacobo *Tomo* 7. *Homil. Æſtiv. de Sanctis* ubi de iis omnibus agit, quæ in Apoſtoli hujus laudem cedere poſſunt.

Albertus Magnus Sermonem habet in hæc verba: *Dic ut ſedeant duo filii mei, unus ad dexteram tuam, &c.*

S. Bonaventura duos ejuſdem argumenti Sermones elucubratus eſt, alterum in illa Eccleſiaſtici verba: *Dilectus Deo, & hominibus*, ubi Sanctum hunc cum Moyſe comparat: Sermo alter eſt in hæc Iſaiæ verba: *Erit ſepulcrum ejus glorioſum.*

Dionyſius Carthuſianus duos habet Sermones in feſtum S. Jacobi diem; in quorum altero fuſius agit de hujus Apoſtoli laudibus, in altero vero docet, quam juſte Salvator operatus fuit poſthabita petitione Matris, & ambitioſo poſtulato filiorum ejus.

Guillelmus Pariſienſis prolixum habet Sermonem in celebritatem diei feſti hujus Apoſtoli, & pro textu, hæc adfert verba: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?*

S. Laurentius Juſtiniani Sermonem habet in hanc eamdem feſtivitatem; ubi oſtendit quam metuenda ſit ambitio, & quid nobis precibus noſtris petere debeamus.

S. Thomas Villanovanus pro textu Sermonis in hunc diem aſſumit verba hæc: *Dic, ut ſedeant hi duo filii mei &c.* unde anſam deſumit invehendi contra ambitionem, ac tandem fuſius verba facit de objurgatione, qua Salvator imprudentem duorum Diſcipulorum petitionem reprehendit.

Cardinalis Bellarminus inter Latinos Sermones, unum habet de S. Jacobo, ubi ea omnia tractat, quæ ad Apoſtolum hunc poſſunt pertinere.

Aſcetici, aliique.

Calliſtus Papa II. quinque edidit libros de miraculis S. Jacobi; & ut perennis extaret Sancti hujus memoria, præcepit ut illius fieret commemoratio die tertia Octobris, quemadmodum in Pontificis hujus vita narratur, quod Leo III. & Innocentius II. poſtmodum confirmarunt.

Cardinalis Baronius anno quadrageſimo quarto oſtendit Sanctum hunc primum fuiſſe ex Apoſtolis Martyrem; idemque docet corpus illius anno 816. fuiſſe in Galiciam translatum.

Bollandus die 3. Januarii plures memorat Hiſtoricos loquens de diſtributione reliquiarum S. Jacobi.

Surius die 25. Julii idem tractat argumentum.

Joannes Mariana locutus eſt de illius itinere, ac in Hiſpanias appulſu.

Philippus Diez in Summa de hoc Sancto verba facit.

P. a Ponte in Meditationibus de Myſteriis fidei tertia parte Medit. 6. loquitur de vocatione duorum Apoſtolorum Jacobi, & Joannis.

P. Novet in Meditatione pro die 25. Julii verba facit de calice Salvatoris, quem duo iſti Apoſtoli ſe bibituros receperunt.

Concionatores ſuperi.

P. Haineuve Parte 3. Meditationum in vitam J. Chriſti ſub voluminis finem de hoc eodem calice verba facit.

Biroat in tomo 2. Panegyricarum Orationum de Sanctis unum habet in laudem S. Jacobi Majoris.

Idem Sermone pro feria 4. hebdomadæ ſecundæ in Quadrageſima, de hoc Sancto loquitur data occaſione petitionis, qua primas ſibi Regni illius ſedes popoſcerunt.

P. Senault Oratorii volumine 2. Panegyricorum.

P. Duneau Tomo 1. Panegyricorum de Sanctis.

Lambert Tomo 6. anni Evangelici habet Homiliam in diem feſtum S. Jacobi Apoſtoli.

In Elogiis Hiſtoricis Sanctorum unum reperies in feſtum S. hujus Apoſtoli diem.

In ſpecimine Panegyricorum tres deinceps Sermones, & tria Sermonum compendia hujus argumenti reperies. Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta, Tomo altero Panegyricorum Sermonem habet, ubi unice de S. Jacobo Apoſtolo Sermo eſt.

Plerique eorum, qui ediderunt Sermones in omnia Quadrageſimæ Evangelia locuti ſunt de hoc Sancto, ubi loquuntur de ambitione Matris Filiorum Zebedæi.

Lobetius in quæſtionibus de S. Jacobo Apoſtolo.

Mathiæ Fabri Conciones de S. Jacobo.

Engelve in feſto Jacobi Majoris.

Qui collectanea ediderunt.

Qui ediderunt Commentarios in Evangelium S. Matthæi, ac præ ceteris Salmeron, Sylveira, & Cornelius a Lapide in caput 20. ejuſdem Evangelii.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, figuræ, & applicationes Scripturarum huic Argumento.

IMpoſuit eis nomina Boanerges; quod eſt Filii Tonitrui*, Marc. 3.

Vidit duos fratres Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, & vocavit eos; illi autem relictis retibus, & patre, ſecuti ſunt eum.

Acceſſit ad eum Mater filiorum Zebedæi, & dixit; dic ut ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram & alter ad ſiniſtram in regno tuo. Matth. 20.

Reſpondens Jeſus dixit; Neſcitis quid petatis: poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? dicunt ei: Poſſumus. Ibidem.

Ait illis Jeſus: Calicem quidem meum bibetis, ſedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt a Patre meo. Ibidem.

Audientes decem, indignati ſunt de duobus fratribus. Ibidem.

Jeſus vocavit eos ad ſe, & ait ..... Quicunque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter; & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus. Ibidem.

Non dixi vos ſervos, ſed amicos; quia quæcumque audivi a Patre meo nota feci vobis. Joannis 15.

Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt, Matth. 12.

Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Joann. 15.

Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ. Pſalm. 76.

De throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua. Apocal. 4.

Quoſdam quidem Deus poſuit in Eccleſia primum quidem Apoſtolos, ſecundo Prophetas, deinde Doctores. 1. Cor. cap. 12.

Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum. Ad Epheſ. 2.

Pro Chriſto legatione fungimur. Ibidem.

Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni. Apocal. 7.

Ideo ſunt ante thronum Dei, & qui habitat in throno, habitat ſuper illos. Ibid.

Erit ſepulcrum ejus glorioſum. Iſaiæ 11.

Herodes occidit Jacobum fratrem Joannis gladio, videns autem quia placeret Judæis, appoſuit, ut apprehenderet, & Petrum, Act. 12.

Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum, 1. ad Cor. cap. 10.

Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo, Pſalm. 15.

Exempla, & figuræ ex Sacris Scripturis deprompta.

Similitudo tonitrui perfecte exprimit zelum S. Jacobi Apoſtoli.

DEi Filius duos fratres Sanctum Jacobum, & Joannem vocavit *Boanerges*, hoc eſt *filios tonitrui*. Nil velocius, nil violentius igne tonitrui. In nubis ſinu clauſus, ac in nimis breve ſpatium coactus confuſum edit fragorem in ima aeris regione, & infirmum hunc obicem diſrumpit, viamque ſibi facit ſulgore adeo vivido, ac penetranti, ut ſtatim ac emicat, evaneſcat. Quam primum filius tonitrui S. Jacobus eoſdem producet effectus, ut Dei voluntatem adimpleat. Peccatores illuſtrabit lumine Evangelici Verbi, ſalutari terrore tonabit, & efficiet, ut corda, quæ difficillime poſſunt penetrari in intimis etiam conſcientiarum ſuarum latebris contremiſcant. Non ergo injuria S. Auguſtinus vocem tonitrui vocat Dei vocem. Hac voce olim uſus eſt in Monte Sinai, & eadem hac utitur Salvator, ut ſuam Eccleſiam conſtituat; Vox Apoſtolorum recens eſt tonitru; per has nubes detonat Deus, fulget, irrigat: Sed S. Jacobus Major primus eſt omnium, qui veluti tonitru, maria traduxerit, ut Gentibus Evangelii lumen afferret. Satis illi non eſt Jeſum Chriſtum concivibus, & nationis ſuæ hominibus prædicaſſe, ardet cupiditate novos ſubinde illi cultores conciliandi. Hac de cauſſa tranſit maria, ad extremas uſque Europæ partes contendit, omnemque Zeli ſui ignem exercet ad gentilitatis tenebras diſſipandas, & populorum antea barbarorum, atque idolatrarum obſtinationem frangendam.

Similitudo, & conformitas inter S. Jacobum, & S. Joannem.

Perfecta fuit inter S. Jacobum, & Joannem conformitas: quemadmodum fratres erant, gratia æque ac natura illos conjunxit. Anicetas dicere non timet, Jeſum Chriſtum alterutri quidquam non contuliſſe, niſi conferret utrique: *Nihil uni cedens, quam alteri, illi omnino æquales.* Cum eſſent illi ex eodem Patre geniti, ita ſimul ab eodem Meſſia vocati ſunt: *Ambo eodem patre geniti, & Deo electi.* Ita erant ſibi conformes, ut ex iiſdem principiis conſtare viderentur. Unam in duobus corporibus videntur habuiſſe animam, ita ut fieri nequeat, quo minus, cum S. Joannes generatim pro eo cognoſcatur, qui ſecretorum Jeſu Chriſti particeps fuerit, S. Jacobus quoque, quippe qui in partem acceſſit fraternorum bonorum, cum eodem glorioſum hunc titulum fuerit partitus.

S. Jacobus fuit in ſuſcepto conſilio conſtantior, quã S. Thomas qui volebat mori pro Salvatore, & quam S. Petrus qui profeſſus eſt, ſe moriturũ potius quã illũ negaturum.

Legimus in Evangelio duos Apoſtolos duplici in occaſione profeſſos fuiſſe, ſe pro Magiſtro ſuo mortem ſubituros. Alter quidem fuit D. Thomas, qui cum Salvator Diſcipulis ſuis dixiſſet, in Judæam revertamur; cumque Diſcipuli illum a ſuſcepto conſilio deterrere conarentur; Magiſter, Judæi te lapidibus obruere voluerunt, & in Judæam audes reverti? Thomas tunc dixit: *Eamus & nos, & moriamur cum eo*: Sed hic Apoſtolus, qui jactitabat ſe pro Jeſu Chriſto, vel cum illo moriturum eſſe, credere noluit illum reſurrexiſſe, atque octiduum in ſua infidelitate permanſit. Alter fuit Petrus, qui cum dixiſſet, ſe paratum eſſe in carcerem ire, & mori pro Salvatore, adeo parum fidem præſtat, ut paullo poſt ad ancillæ vocem ter uſque negaverit, ſe eumdem agnoſcere. Hoc longe aliter accidit S. Jacobo, qui cum Dei Filio pollicitus eſſet una cum fratre ſe bibiturum calicem, quem Dominus erat biturus, non ſolum deinceps genererofam hanc promiſſionem facto mentitus non fuit ſed illam ad unguem explevit.

SS. Jacobus & Joannes imitari voluerunt Eliæ Prophetæ zelum, depoſcentes, ut ſibi permitteretur a Domino de Cælo ignẽ elicere adverſus Samaritanos.

Cum Dei Filius ſe obtulit ut in quamdam Samariæ civitatem ingrederetur, ingredi prohibitus fuit, quia Samaritani ægre domi ſuæ excipiebant Judæos Jeroſolymam ad Paſchatis ſollemnitatem proficiſcentes; putabant enim adorandum eſſe in Monte Garizim, non autem in Sion, ubi unicum Dei Templum ſitum erat. Cum duo Diſcipuli Jacobus cum fratre vidiſſent inurbanam repulſam, qua Salvator non ſine contumelia fuerat affectus; zelo ferventes dixerunt illi: Vin' eliciamus ignem de cælo, quo miſeri iſti abſumantur? Recordabantur proculdubio eorum, quæ ſcripta ſunt in quarto Regum libro, cum Ochozias Rex Iſrael miſiſſet quemdam ex ducibus ſuis cum militibus quinquaginta, qui ad ſe ducerent Eliam, hunc feciſſe, ut de Cælo in ducem, ſocioſque cæleſtis dilaberetur ignis; quod ipſum iterum accidit, cum iterum dux alius a Rege fuiſſet immiſſus. Duo Apoſtoli hunc zelum imitari cupientes, & illatam Magiſtro injuriam ulciſci, petierant ab eo, utrum ipſi placeret, ut de Cælo ignem elicerent, qui ſemper cum tonitru conjunctus eſt, in oppidum illud infidele. Optima quidem illorum erat intentio, quippe quæ profecta erat ab amore, quo Magiſtrum, Dominumque ſuum amabant; erat tamen imprudens, quia, ut illis Dei Filius teſtatus eſt, Filius hominis non venit ut animas perderet, ſed ut ſalvaret. Nihilo ſecius zelus illorum in ſe laudabilis erat, quippe qui ab amore & obſervantia ſua erga Magiſtrum oriebatur. Quos ſi hic corripuit; illos ſane erudire voluit, non autem damnavit zelum ipſorum, qui licet bonus, tamen aliquando impellit ad ea, quæ bona creduntur, nec ſunt. Hujus rei duo habemus exempla in S. Petro, poſtquam præclaram illam edidit fidei confeſſionem, propter quam Beatus appellatus fuit, cum Salvatore loquente de paſſione, & morte ſua apud Diſcipulos, Petrus iratus eſt, eique dixit; itane, Domine, tecum adeo indigne agetur? & ſecundo, cum capto a militibus Domino, enſem ſtringens cuidam ex illis auriculam abſcidit. Hoc ipſum accidit S. Jacobo, ejuſque fratri; crediderunt zelum ſuum verum eſſe cum quæſiverunt a Domino, utrum vellet, ipſos ignem de Cælo elicere ad Samaritanos abſumendos.

Ratio cur S. Petrus liberatus fuit, & S. Jacobus carnificibus traditus.

Admiramini J. Chriſti factum cum S. Jacobo, & S. Petro; videte quomodo trudat Jacobum voluntati perſequentium illum, atque carnificum, cum interim inexpectato modo de carcere liberat S. Petrum. Nonne poterat ſimul S. Jacobum etiam furori Agrippæ Regis eripere? S. hic Apoſtolus nequaquam ſe miſerum putat inimicorum impetu ſe victum videns, afficitur immo peculiari lætitia, cum ad ſupplicii ſui rapitur locum. Adeo palam in illius vultu lætitia emicabat, ut ille, a quo ad ſupplicium ducebatur, obſtupuerit, & Deus ut Sancti noſtri gaudium ad cumulum uſque proferret, voluit illi in triumphum cedere unum ex illis, qui in Mundo tamquam ſæviſſimi, & ab omni humanitatis ſenſu remotiſſimi exiſtimantur, convertens tortorem, a quo capite erat mulctandus, ut doceremur, ſi pro illo paſſi fuerimus, paſſiones noſtras nequaquam ſteriles futuras, & aliorum profuturas ſaluti, ſi tantum humilitatis, & caritatis habuerimus, quantum in S. Jacobo refulſit. Generoſæ hujus victimæ conſtantia, & agni manſuetudo, quæ cauſſa erat, ut obmuteſceret coram illis, a quibus erat jugulandus, efficaciſſima eſt Sancti hujus viri prædicatio, ſimulque illa, quæ plures Dæmoni eripuit animas, ut J. Chriſto conſecrarentur. Ne audeamus ergo ſecreta Dei judicia ſcrutari; & rationem aſſequi velle, cur S. Petrus carcere liberatus fuerit, cum interim Jacobus ad necem raperetur. Utriuſque hujus Sancti patientiam celebremus. S. Petrus tranquille quieſcit inter milites, quibus duplici catena alligatus erat; quia ſui ipſius curam Providentiæ permiſerat. Ita cum magnis urgemur difficultatibus, nobis in Dei bonitate quieſcendum eſt; & in nobiſmetipſis alere debemus confidentiam, quæ omnem extrudat ſollicitudinem, Deum videlicet, ſi nobis profuturum eſt, nos liberaturum. Ædificationis argumentum deſumamus a S. Jacobi generoſitate, qui exiſtimat lucrum eſſe pro J. C. mori, & dicamus, nos incipere tanti Magiſtri Diſcipulos eſſe, cum pro illo ſanguinem noſtrum fundimus. Suppetit nobis aliud ſatis ſimile exemplum in vita S. Pauli. Oneſimus illi cariſſimus erat, illum enim pro J. C., & J. C. genuerat, dum in vinculis, & in carceris ſqualore detineretur: *Obſecro pro filio meo Oneſimo, quem in vinculis genui.* (*Epiſt. ad Philem.* 10.) S. Jacobus quoque reſpexit tamquam glorioſiſſimum victoriarum ſuarum trophæum converſionem illius, a quo captus fuerat, & ad Judices raptus. Hic patientia & generoſitate S. Jacobi commotus, excitatuſque publica confeſſione, qua Sanctus ille J. Chriſti divinitatem profeſſus eſt, ipſe quoque, ſe Chriſtianum eſſe profeſſus eſt, ut S. Clemens Alexandrinus teſtatur. Idem ſupplicium magiſtro ſimul ac Diſcipulo decretum fuit, & cum uterque ad ſupplici locum raperetur, recens hic Catechumenus a S. Jacobo veniam petiit, qui parumper hæſit non quidem, utrum parceret, ſed utrum haberet pro fratre illum qui nondum J. Chriſti ſacramenta receperat; ſed revelavit illi Deus, quemadmodum mox Eccleſiæ univerſæ revelavit, Martyris ſanguinem omnibus rebus ſupplere. Statim illum Apoſtolus amplexatus eſt, dixitque illi: Pax tecum. Illis deinde caput abſciſſum fuit. Ita ipſi quoque inimicos noſtros converteremus, ac totidem Salvatoris Diſcipulos efficeremus, ſi caritatis & patientiæ erga illos ardentes in caput eorum prunas congereremus. Ita evaderemus Apoſtoli, ſi cum S. Jacobo præclare uteremur omnibus occaſionibus, quas nobis obtrudit providentia ad ſalutem fratrum noſtrorum cooperandi.

Euſeb. l. 2. c. 9.

Applicationes aliquorum Scripturæ locorum, huic Argumento.

Maximum amoris quo Dei Filius ſuos diligit monumentum eſt illos in partem ſui calicis, & paſſionum vocare.

POteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Matth. 20. Confitendum eſt Deum cum amicis ſuis longe aliter ſe gerere, quam homines, qui amoris ſui documenta in eo collocant, ſi illos ab inimicorum inſidiis protegant; ſi in adverſis quibus franguntur, ferant opem, ſi omnia denique vitæ hujus bona procurent. Sed cum Filius Dei nobis verbo, & exemplo tradiderit præcepta prorſus oppoſita mundi inſtitutis, mirum eſſe non debet, ſi poſtquam ipſe gloriam, atque triumphum ſuum in Cruce conſtituit, hanc amicis ſuis etiam veluti pretioſiſſimum amoris ſui pignus, atque altiſſimum felicitatis eorum apicem relinquat. Hinc cum Mater Sanctorum Jacobi & Joannis ad Salvatorem acceſſit, ut ab eo duas primas in Regno illius ſedes depoſceret, Dei Filius poſtquam dixit, illos neſcire quid ſibi peterent, hos interrogavit verbis, veritatem, quam in animo erat aſſerere, mirifice probantibus: *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum?* quaſi tacite illis diceret, per hoc promerendum eſſe ſublimem illum honoris gradum, quem immoderata ambitione petebant; ſi vera gloria, cujus ſe tantopere cupidos oſtendebant, poſita erat in participatione ejus calicis, & ſi maximum ſuæ benevolentiæ, atque exiſtimationis, quod illis præbere poſſet monumentum, erat illis occaſionem præbere pro nomine ipſius perferendi; *Calicem quidem meum bibetis.* Veritas eſt, S. Jacobum præſtitiſſe fidem, qua ipſe fraterque Salvatori polliciti fuerant ſe illius calicem bibituros præ cupiditate, qua uterque flagrabant prima in regno illius obtinendi ſubſellia. Sed S. Jacobus hac in re fratrem, alioſque Apoſtolos omnes ſuperavit, quod non ſolum Salvatoris calicem bibit, ſed omnem primus illum exhauſit.

Fulgura ibunt & revertent. Job 38. Hunc locum S. Gregorius interpretatus, cum Concionatoribus, & Apoſtolis applicat. Eunt, inquit, tamquam fulmina, cum in vita operantur miracula, & ſcindunt corda populorum; & redeunt tamquam fulmina, cum in hora mortis revertuntur ad eum, a quo ad gloriam creati fuerant, eique offerunt omnes triumphos quos retulerunt, virtutes omnes quas adepti ſunt, animas omnes quas converterunt. Quod S. Gregorius generatim de Apoſtolis inquit, præcipue convenit S. Jacobo, quoniam poſtquam ex Judæa in Hiſpaniam traduxit, mox ex Hiſpania rediit in Judæam, ibi fidei tutela mortem ſimul, & vitam conſecraturus. Primus fuit Apoſtolorum omnium, S. Bonaventura inquit, qui amorem pro amore, mortem pro morte J. C. rependeret. Sicut tonitru vim ſuam oſtendit cadendo, confringit enim rupium cacumina, altiſſimas turres evertit, & proceras arbo-

BIBLIOTECA CENTRAL

arbores ſternit: S. Jacobus moriens numero carentes retulit triumphos, & in martyrio potiſſimum ſuam fortitudinem, ac virtutem oſtendit. Cadens confregit caput idololatriæ, triumphum retulit de Synagogæ ſuperbia, omnino principis tenebrarum potentiam ſubvertit. Quippe inter Sanctorum victorias, atque triumphos, & illos, quos Gentium referunt Domitores, hoc diſcriminis intercedit, quod terræ principes nonniſi populorum excidio, & clade inimicorum triumphare poſſunt, cum interim Sancti, non ſecus ac Salvator, ſuæ caritatis exceſſu, ſuaque morte triumphent.

Nomen Filii tonitrui, quod Dei Filius S. Jacobo impoſuit oſtendit virtutē ac fortitudinem hujus Apoſtoli; ſed hæc virtus, & fortitudo procedebant a throno Dei.

De throno Dei procedebant fulgura, & voces, & tonitrua. Apoc. 4. Ex impoſitione nominis *Boanerges* conjicere licet, quænam fuerit fortitudo, potentia, vis, impetus Apoſtoli S. Jacobi; filii hujus tonitrui. In Apoclypſi ſcriptum eſt: de throno Dei proceſſiſſe fulgura, & voces, & tonitrua; ſed Richardi a S. Victore in hæc verba animadverſio præſtantiſſima, & argumento huic aptiſſima videtur. Deus thronum ſuum habet, illumque intra nos vult ille ſtatuere; dicere poſſumus eos, quos ad alios regendos, atque ſanctificandos deſtinat, proprie loquendo eſſe thronum, ſuper quem ſedet. Eorum miniſterio aliis ſuas aperit voluntates, illis miſericordiæ, ac potentiæ ſuæ monumenta præbet; eos de officiis ſuis erudit, illis ſuas communicat gratias, pronuntiat ſententias ſuas, efficitque, ut leges ſuæ compleantur. De throni hujus apice fulget, loquitur, tonat. Fulget miraculis, quæ a ſummis hiſce viris patrantur, loquitur veritatibus, quas illi docent, tonat minis terrificis, quas intentant. Cæcis oculorum aciem reddere, leproſos curare, ſuſcitare mortuos, hæc ſunt fulgura, a Dei throno egredientia, Richardus Victorinus ait: Prædicare Evangelium, ac lenibus correptionibus amabiles peccatoribus exhibere virtutes, vitium autem odioſum; hæ voces ſunt, quæ inde procedunt. Minas intentare illis, qui induruerunt, illis Infernum aperire, & terribiles æternaſque pœnas, quæ in altera vita eos manent niſi in hac converſi fuerint oſtendere; hæc tonitrua ſunt inde erumpentia. Hæ veræ ſunt imagines zeli S. Jacobi; & ratio miſſionis hujus Filii tonitrui. Sicuti potiſſimum cura illius erat Judæorum converſio, has omnes varias artes impendit, ut quod optabat, aſſequeretur, miraculis verborum veritatem confirmans, & prodigiis probans, negari non poſſe Jeſu Chriſti Divinitatem apud eum populum, in medio cujus verſatus erat, & qui illum numquam agnoſcere voluerat.

Interrogatio, qua Salvator ex S. Jacobo, ejuſque Fratre quærit an Calicem ſuum bibere poterint, eſt ad illum bibendum invitatio:

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Matth. 20. Hæc Jeſu Chriſti interrogatio, qua Dei Filius ex S. Jacobo, & Fratre ejus quærit: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Eſt quædam veluti adhortatio, ac validum excitamentum ad illum hauriendum: neque enim Salvator dicit illis, poteſtis ſanguinem veſtrum fundere, ſed poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? ut his verbis illos excitaret ad patiendum exemplo, quod illis daturus erat patiendo ante illos, & gloria, quæ illis erat ceſſura ſi in paſſionum illius partem acceſſiſſent. Mox paſſionem baptiſmum appellat; *Poteſtis baptiſmo, quo ego baptizor baptizari*; (*Marc.* 10.) ut innuat ſanguine ſuo omnia terrarum ſcelera eſſa expianda. Verum quidem eſt, Salvator inquit, vos pro me, & pro veritatis meæ prædicatione morituros eſſe: Verum eſt vos in partem acceſſuros Paſſionis meæ, ac dolorum meorum; verum hoc ſatis non eſt, ut primatu, quem cupitis, perfruamini; ſi enim aliquis reperiretur, qui præter martyrium cum vobis commune, reliquas etiam virtutes in eminentiori gradu præ vobis poſſideret: ne credatis, eo quod nunc vos diligo, & aliis antepono, futurum eſſe, ut tunc vos cuiquam anteferrem, qui vobis ſanctior fuiſſet. Nulli mirum videatur, cum in Apoſtolis multa adhuc imperfecta deprehendat. Nondum conſummatum erat Crucis Myſterium & Spiritus Sancti gratia nondum ſuper illos erat effuſa. Si ſcire vultis, quænam eorum virtus extiterit, id cogitate quod poſtmodum fuerunt.

Pauci præſto ſunt, ut ſequantur Salvatorem eos vocantē quemadmodum præſto fuit S. Jacobus.

Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Matth. 16. Fruſtra diceretur tot Chriſtianis, qood olim S. Jacobo: *Venite poſt me*; Mortalis currit poſt deſideria ſua, ac prætexens ſe tuam, Domine, facere voluntatem, obtemperat ſuæ. Cum illum vocas, ut veniat poſt te, illum etiam qui præ ceteris majori zelo ſuccenſus videtur, fere deterret conditio, quam illi inquis, ſibimet abrenuntiandi, & crucem ſuam deferendi. Libenter te ſequerentur, ſi ſolus bibens calicem, non diceres illis; *Poteſtis*, vultis *bibere illum*. Sed licet biberis quidquid in illo amariſſimum eſt, licet omnes illius fæces exhauſeris, raro inveniuntur, qui tibi tanta conſtantia ac firmitate, quanta Apoſtolus noſter, reſpondeant: *Poſſumus*. Dico autem, tanta conſtantia & firmitate, etenim poſtquam ſemet perfecta obedientia ſubdidit omnibus ſuæ vocationis ærumnis, zelo indefeſſo omnes hauſit labores, adverſa, repulſas, contradictiones, quæ illi toto miſſionis ſuæ curriculo erant perferendæ.

Petitiones plurimorum Fidelium ſunt injuſtæ & ratione carentes, & dicere poſſumus eos neſcire quid petant.

Neſcitis quid petatis. Matth. 20. Poſtquam mater Filiorum Zebedæi Filio Dei expoſuit, quid ab ipſa peteretur, ad duos filios ſuos ille ſeſe convertit, dixitque: *Neſcitis quid petatis.* Hoc Salvatoris reſponſum nobis prodeſſe debet ad probandum magni momenti veritatem, pleroſque videlicet hominum neſcire quid petant, & plerique ea petere, quæ ſibi contraria ſunt. Quot ſunt Chriſtiani, quibus Salvator dicere poſſet, quod ambobus filiis Zebedæi: *Neſcitis quid petatis?* Dicit eos neſcire quod petunt, quia primas ſedes appetebant, volebantque ſe a Dei Filio ſuper ceteros Apoſtolos attolli in Regno ipſius, quod temporale Regnum eſſe arbitrabantur. Hinc ſequitur, jure dici poſſe illis omnibus, qui in mundo eniteſcere cupiunt, eos ignorare quod petunt, quippe eorum vota adverſantur præceptis omnibus, quæ nobis a Jeſu Chriſto tradita ſunt. Ille nobis commendavit humilitatem, atque oſtendit nullam eſſe hac magis neceſſariam virtutem; ille edixit, numquam fore, ut ſine humilitate in numerum Diſcipulorum ſuorum admittamur.

Qui ambiunt primos in Eccleſia, quæ regnum Dei eſt, recubitus, neſciunt quid petant, & quare?

Neſcitis quid petatis. Matth. 20. Si pro Regno Filii Dei, cujus primos recubitus S. Jacobus, ejuſque frater ambiebant, intellexiſſent Eccleſiam, quæ plerumque hoc nomine in Scripturis indigitatur, & in qua plurimi ſunt ordines, ſtationeſque, propter quas Hierarchia nominatur; dici poſſet de illis, qui eas appetunt dignitates, & ad illas alia via graſſantur, quam meritorum, quorum homines non ſemper rationem habent; dici inquam poſſet, illos neſcire quod petant; quia hæc elatio plerumque illis magis præcipitem lapſum parat; & quia, ſi rite cogitarent officia illi inhærentia, munera, quæ illis imponunt, diſtrictam rationem, quæ illis in Dei judicio reddenda erit; næ illi intelligerent, ſe neſcire quid petant, & multo minus quid faciant, cum dignitates ambiunt, & per fas, & nefas ad illas pervenire contendunt. Ambitio primis etiam Eccleſiæ temporibus gliſcere cœpit, quemadmodum dilectus diſcipulus quæritur; *Qui amat primatum gerere Diotrephes, non recipit nos*, (*Joan. Ep.* 5.) & ſæpe honor, qui illis inhæret, & prælatio, unica eſt cauſſa, propter quam perquiruntur quin cogitet aliquis primum documentum, quod a Jeſu Chriſto tradatur, eſſe humilitatem, quæ, ut S. Bernardus ait, naturam habet corporum gravium, quæ ſemper tendunt in centrum, & non quieſcunt umquam, niſi in humiliori loco ſita ſint. Deus in hoc Eccleſiæ ſuæ regno, non ſecus ac in Cæleſti diſtribuit gradus, & ordines, & ſecundum magnitudinem ſapientiæ ſuæ, providentia illius ſua habet conſilia, quæ nobis ſcrutari non licet. Illud autem certiſſime conſtat, eos, qui primas occupant ſedes in alterutro hoc regno, non ſemper in altero eumdem locum obtinere, & ſolam æmulationem, quæ Chriſtiano licet, hanc eſſe, ut quiſque ſe magis fidelem præbere certet ſupremi Domini præceptis parendo, ut diligentius ſua obeat munera, ut ſanctior ſit, humilior, & virtutibus ornatior, quam ceteri: Deum vero qui fidelis eſt in promiſſionibus ſuis, curaturum, ut progrediamur, & magis, magiſque attollamur pro humilitatis noſtræ magnitudine, rectoque uſu gratiarum, & beneficiorum illius. Ita ille ſe geſſit cum S. Jacobo, cui Salvator plura largitus fuit, quam petierat non ſolum per hanc inter diſcipulos, verum etiam inter Apoſtolos diſtinctionem.

Quæcumque didici a Patre, nota feci vobis, Joann. 15. Lumina, quæ Deus ſuis communicavit Apoſtolis in lege gratiæ, longe copioſiora fuerunt illis, quæ juſtis in veteri Teſtamento communicavit. Illis aſſerit in Evangelio, ſeſe eiſdem aperuiſſe, quæcumque a ſuo Patre didicerat. Tamen ſemper quædam ille ſibi ſecreta reſervabat, quæ illis dumtaxat diſcipulis crederet, quos impenſius amabat, inter quos S. Jacobus numerabatur. Transfigurationis myſterium veritatis hujus argumentum eſt: In hoc myſterio illi ſuam gloriam detexit, & manifeſtavit; ſed hanc reliquis Apoſtolis eſſe voluit abſconditam; ejuſque tres tantum adhibiti fuerunt teſtes, Sanctus Jacobus, Sanctus Joannes, & Sanctus Petrus. Cum alii Apoſtoli nimis adhuc hærerent carni, & ſanguini, non oſtendebat ſe illis niſi ſub carnis paſſibilis integumento; cum interim hi ad ſublimiorem contemplationem per caritatis alas attollentes dignos ſe præbuerant, qui gloriam intuerentur quam Jeſu Chriſti divinitas ejus corpori communicabat: *Illis vero contemplatione ſuſpenſis, veritatem glorificatæ carnis oſtendit*: Petrus Bleſenſis ait. Hæc eadem caritatis perfectio Sancti Jacobi illum cum aliis duobus Apoſtolis dignum effecit, ut particeps fieret mœroris lethalis, quo premi dignatus eſt propter amorem noſtri Dei Filius in horto Olivarum, & ut adeſſet, cum ille ibidem a ſceleratiſſimorum hominum manu caperetur.

S. Jacobus Apoſtolus unus ex iis eſt, qui de Filio Dei magis bene meriti ſunt.

Exiſtimo nihil me minus feciſſe a ceteris Apoſtolis. 2. Corinth. 11. Hæc Sancti Pauli verba nobis innuunt inter ipſos Apoſtolos aliquod fuiſſe ordinum diſcrimen, & alios aliis melius de Deo fuiſſe promeritos. Sed communis eſt Patrum, Interpretumque ſententia, Sanctum Jacobum fuiſſe ex numero magnorum horum Apoſtolorum, quibus ſeſe comparare non metuit Sanctus Paulus, ubi laborum ſuorum multitudinem recolit; quamvis per humilitatis ſenſum ſe ipſum tamquam noviſſimum mortalium omnium conſideret, & indignum ſe dicat, qui ad tam illuſtre miniſterium evocaretur; ubi cogitat, quid ipſe ſit ex ſe, & quam exilia ſint merita ſua. Sanctus igitur Jacobus inter Principes Apoſtolorum obtinuit gradum, velut ille, quem pluris fecit Dei Filius, ſeu ſpectetur diviſio locorum, quo fidem attulit, & illam excoluit, ſeu ratio, qua Apoſtolatus ſui dignitatem ſuſtinuit.

Quam glorioſus fuerit hic Sanctus poſt mortem ob multitudinem eorum, qui ad ſepulcrum illius confluxerunt.

Erit ſepulcrum ejus glorioſum. Iſaiæ 11. S. Jacobi Apoſtoli ſepulcrum glorioſum factum eſt propter innumera miracula, quæ in ſingulos dies ibi accidunt: illud vero apertius eſt argumentum gloriæ, cujus adiit poſſeſſionem, quod poſt mortem ipſius conceſſit illi Deus, quod viſus fuerat eidem negare dum viveret, videlicet converſionem quam plurimorum peccatorum, quibus ipſe apud Deum ſupplex impetrat ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis. Quot enim peregrini dereliquerunt ſua bona, domos, conſanguineos, ut venirent ad Filium Dei in Apoſtolo ſuo venerandum? Quot Reges cineribus, qui in tumulo continentur, purpuram ſceptrumque ſuum humiliaverunt? Quot Principes ſummique viri illi ditionem ac poteſtatem ſuam ſubjecerunt?

Dic ut ſedeant hi duo filii mei in regno tuo, unus ad dexteram, unus ad ſiniſtram. Matth. 20. Ambitio ex communi ſententia inordinata cupiditas eſt, & eo turpior, ac probro dignior, quo efficit, ut ardentius ſublimiores dignitates appetamus. Sed ſi duo fratres S. Jacobus & S. Joannes reprehenſibiles erant, quod vellent reliquis ex collegio Apoſtolorum præferri; parens illorum hac in re excuſatione digna videtur, quod filiis peteret ſedes amliſſimas: naturalis enim parentum erga filios affectus apud homines habetur tamquam aliquod pietatis genus, potius quam inordinata cupiditas. Fatendum nihilominus eſt ſub umbra naturalis hujus affectionis plura, neque modica vitia virtutis nomen aſſumere, & deſiderium filios ſuos attollendi haberi tamquam officium quoddam ſanctum & pium, ita ut eo ardentius hoc proſequamur deſiderium illos, quibuſcum nobis aliqua neceſſitudo eſt, altius evehendi, quo magis hoc ſine ullo conſcientiæ detrimento a nobis fieri poſſe arbitramur; & tantum abeſt, ut quidquam mali in hac ambitione adeſſe exiſtimemus, quod illam nobis licere ducimus, eumque nobis gloriæ tribuimus. Hoc palam deprehenditur in Matre S. Jacobi; illa enim naturali hac pietate fuit adeo decepta, ut rata ſe actum caritatis exercere erga filios ſuos, immoderate indulſit ambitioni, quam nihil excuſare poteſt, niſi ſola ignorantia ejus rei, quam a Dei Filio petebat.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & ſententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

Non fere quiſquam eſt, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam. S. Auguſtinus in Pſalm. 1.

Honor quærere te debet, non ipſum tu. Idem l. 50. Homiliar. hom. 13.

Cum iis, qui naturaliter ſibi pares ſunt, dominari quis affectat, intolerabilis omnino ſuperbia eſt. Idem l. 8. de Civit.

Quoties hominibus præeſſe deſidero, toties Deo meo præire contendo. Idem ibid.

Nomen blandum honos, mala ſervitus, exitus æger. S. Paulinus Epiſt. ad Auguſtinum.

Quid eſt aliud principatus ſine meritorum ſublimitate, quam hominis titulus ſine homine? Salvian. lib. 4. de Provid.

Quomodo poſſum eſſe filius tonitrui? Potes, ſi te terrena non moveant, ſed potius quæ terrena ſunt, virtute tua concutias. Sanctus Ambroſius lib. 7. in Luc.

Præſtantius eſt pro Chriſto mori, quam regnare in hoc ſæculo; quid enim præſtantius eſt, quam fieri Chriſti hoſtiam? Idem de bono mortis c. 3.

Ambitioſus, ut dominetur aliis prius ſervit, curvatur obſequio, ut honore donetur: & dum vult eſſe ſublimior, fit remiſſior. Idem in Lucam l. 3.

Sicut peremptoria eſt altitudo quæſita; ita periculoſiſſima eſt oblata. S. Cyprianus lib. de jejunio, & Chriſti tentat.

Locus regiminis deſiderantibus negandus eſt, fugientibus offerendus; virtutibus ergo pollens coactus ad regimen veniat. S. Gregorius in Paſtorali.

Locus ſuperior, ſine quo populus regi non poteſt, & ſi adminiſtretur, ut decet, tamen indecenter appetitur. S. Auguſtinus lib. 8. de Civit.

Habet honor forenſem gratiam, domeſticum periculum. S. Ambroſius l. 4. in Luc.

Jacobus Chriſtum tanto ardore proſequitur, & ad tantam ſublimitatem aſcendit, ut a perſecutoribus confeſtim occiſus ſit. S. Hieronymus.

Filios tonitrui appellat Dominus Jacobum & Joannem, ut præcipuos Prædicatores, & maxime Theologos. Theophylactus in Marcum.

Tonitrui Filii ſpiritualia intonuerunt. Gregorius Nazianz. Orat. 44

Locum altiorem ſortitus es, ſed non tutiorem; ſublimiorem, ſed non ſecuriorem. S. Bernardus ad Eugenium.

Conſidero faſtigium dignitatis, & intueor faciem abyſſi jacentis deorſum, attendo celſitudinem, & e vicino periculum reformido; terribilis prorſus, terribilis eſt locus iſte. Idem Epiſtol. 272. ad eumdem.

Nullum tibi venenum, nullum gaudium plus reformido, quam libidinem dominandi. Idem lib. 3. de Conſideret.

Poteſtis bibere calicem &c. *Per calicem pertingitur ad majeſtatem, ſi vos locus delectat celſitudinis, prius exerceat via laboris, ſi mens veſtra appetat quod mulcet, bibite prius quod dolet.* S. Gregorius homil. 43.

Tranſeat a me calix ille: *id eſt, ut quomodo a me bibitur, ita ab iis bibatur. qui poſt me paſſuri ſunt.* S. Hilarius in c. 20. Matth.

PARAGRAPHUS V.

Quid hauriri poteſt ex Theologia hoc in Argumento?

Quanam in re vera magnitudo cōſiſtat, & quo titulo Apoſtoli primi ſint in regno Dei?

CUM Deus non ſolum magnus ſit, & toto cælo quacumque magnitudine major, verum etiam ſolus ſit Altiſſimus, & ſolus Omnipotens; certiſſima veritas eſt, creaturas illius nullam habere gloriam, meritum, atque præſtantiam, niſi quatenus ad primam illam, ac certiſſimam veræ magnitudinis normam referuntur; videlicet quatenus perfectius illam repræſentant, vel propius ad illam accedunt. Huic innititur principio omne diſcrimen quod inter illas dignoſcitur, & hoc efficit, ut re ipſa aliæ ſint aliis perfectiores, atque in ſuperiori gradu conſtitutæ, ſeu in ordine naturæ, ſeu gratiæ, habita ratione finis, & officii, cui illas deſtinat Deus. Huic innixus fundamento vobis oſtendam, magnum S. Iacobum plura a Salvatore mundi recepiſſe beneficia, quam ab eodem petierat per matris interceſſionem filiorum ſuorum dignitatem perquirentis. Hac de re vobis erit perſuaſum, ſi cum omnibus Sanctis Patribus ſenſeritis, Regnum, ad quod in terris conſtituendum Jeſus Chriſtus deſcendit, non aliud eſſe, quam Eccleſiam, quæ in Evangelio paſſim, Regnum cælorum nuncupatur. Etenim via eſt, ad illud adducit, & nemo unquam in hoc ſit admittendus, niſi prius admiſſus fuerit in altero. Secundo ſi ſuppoſueritis, eos quos Jeſus Chriſtus elegit, ut eſſent prima hujus Eccleſiæ, Regnique fundamenta, & qui Apoſtoli ſunt, ibi prima obtinuere ſubſellia, & ſicuti fuerunt primitiæ Spiritus, ita etiam recepiſſe gratias ſuis muneribus congruas, ideoque etiam ſanctitatem præ aliis eminentiorem. Ita Eccleſiæ ſententia eſt, illos eſſe elatiores in gloria eo uſque, ut Salvator ipſe illis pollicitus fuerit futurum, ut aliquando ſecum in gloriæ ſoliis ſedeant duodecim Tribus Iſrael judicaturi; quod non abhorret ab eo, quod Apoſtoli noſtri parens pro duobus filiis ſuis deprecabatur.

Ratio propter quam duorū Diſcipulorum petitio erat irrationabilis. Luc. 14.

Poſt redditam a Jeſu Chriſto filiis Zebedæi reſponſionem, ambigere nefas eſt, quo minus illa a ratione abhorruerit. Non ſolum impenſius optabant ſupra alios Diſcipulos attolli; verum etiam votorum ſummam conſecuturi, eum precati ſunt, quem docentem audiverant, primos recubitus numquam eſſe perquirendos. Meminiſſe opus eſt ejus parabolæ, quam Salvator nobis in Evangelio propoſuit, ut nos de hac veritate erudiret, ubi palam oſtendit, numquam a nobis primas eligendas eſſe ſedes, ſed e contra in infimis eſſe ſubſidendum, humilitas quippe eſt eſſentiale Religionis fundamentum; quicumque enim ſe ſe exaltaverit, humiliabitur, & quicumque ſe humiliaverit, exaltabitur. Hoc primum eſt Jeſu Chriſti documentum. Vult diſcipulos ſuos humiles eſſe, fugere plauſum, pompam, honores. Quicumque deſiderat bona, & mundi hujus dignitates, meretur ut illi ea reddantur verba, quæ Dei Filius ambobus Diſcipulis ſuis repoſuit: *Neſcitis, quid petatis.*

Cur S. Jacobus, de quo loquimur, dicatur Major, & illi nomen dederit Deus.

Notandum eſt S. Jacobum Fratrem S. Joannis paſſim Majorem nuncupari, ut ſecernatur ab altero ejuſdem nominis Diſcipulo. Major autem non ideo fuit appellatus, quia ſenior eſſet altero, vel majora haberet merita, ſed quod ante illum vocatus fuit ad Apoſtolatum; primi enim quatuor fuerunt S. Andreas, S. Petrus, S. Jacobus, & S. Joannes. Duo iſti Diſcipuli S. Jacobus, & Ioannes ab ipſo Dei Filio vocati ſunt, dum una cum Patre retia reficerent; illum ſtatim ſecuti ſunt; quæ illorum celeritas acceptiſſima fuit Salvatori, qui mox ſemper eos peculiaribus favoribus complexus eſt. In Veteri Teſtamento tres tantum invenimus, quorum nomina Deus immutaverit, Abram, Sarai, & Patriarcham Jacob; ſimiliter in Novo Teſtamento tres invenimus, quibus Dei Filius alia nomina impoſuerit, Sanctum Petrum, & utrumque Zebedæi filium. S. Petrus qui Simon nominabatur, Petrus dictus eſt, quo nomine ſignificabatur ille futurus eſſe fundamentum, vel Petra fundamentalis Eccleſiæ. Fratres duo Jacobus & Joannes dicti ſunt Boanerges, hoc eſt filii tonitrui, quod in illis proprie peculiarem aliquam innuebat prærogativam, veluti zelum, & ardorem, quem teſtabantur in iis omnibus, quæ ad gloriam Dei pertinebant, quod liquet ex ea petitione, qua ex Dei Filio quæſiverunt, utrum vellet, ut ignem de Cælo in Samaritanos elicerent; qua in re zelus eorum æquavit illum Prophetæ Elia, voluerunt quippe, ut ille, ulciſci injuriam illatam Deo, quamvis hac in re peccaſſe videantur, quia a Salvatore correpti fuerunt: ſed eorum intentio, ad gloriam Dei tantummodo referebatur,

Quomodo S. Jacobus, & S. Joannes ad Apoſtolatū vocati fuerunt,

Modus ipſe, quo Dei Dei Filius S. Jacobum ad ſui ſequelam vocavit, prætereundus non eſt, nam ex D. Auguſtino vocatio hæc bis facta eſt, primum cum præſtita ope S. Petro in mirabili ea piſcatione, in qua hujus navicula repleta fuit piſcibus; vix enim hæc ad litus fuit appulſa, cum duo iſti piſcatores Jacobus & frater ejus quorum caſus omnes communes fuiſſe videntur donec vixit Salvator, in numerum Diſcipulorum adſcripti fuerunt, antequam ad Apoſtolicam dignitatem adſcriberentur. Sicut autem vocatio hæc ab inſigni miraculo duxit initium, quod tantum S. Petro ſtuporem injecerit, ut ſincere confiteretur, ſe indignum eſſe, qui adeo potenti Magiſtro, Dominoque famularetur, non abeſt a quadam fidei ſpecie fratrem utrumque, qui prodigii teſtes fuerunt,

BIBLIOTECA CENTRAL

runt, nec non humilitatis, qua S. Petrus de ſe quam demiſſe ſentiebat, non auſos ſe ſe ultro illi offerre, expectaſse, donec a Salvatore invitarentur; quod non multo poſt præſtitit, cum poſtquam vocaſset Petrum & Andream, qui primi duo fuerunt, & parum proceſſiſset, vidit Jacobum & Joannem retia ſua reficientes; tunc enim ſatis beatam ſortem ſibi accidiſse rati, ſi eidem unice adhærerent, phaſelum, everricula, naſsas, patrem, quidquid habebant, & quidquid in mundo ſperare poterant reliquerunt; non alium majorem agnoſcentes theſaurum, quam fieri Diſcipulos ejus, quem veluti Meſſiam venerabantur, ac unice adhærere ſequelæ, ac ſorti illius, quæcumque tandem eſset futura.

Probabile non eſt S. Jacobū fuiſſe Filii Dei conſanguineum, qui licet fuiſſet, hæc tamen nequaquam peculiaris dilectionis cauſſa Salvatori fuiſſet futura.

Neſcio an quod aliqui de S. Jacobo narrant ſatis probatum ſit; ipſum videlicet Filii Dei cognatum fuiſse ſecundum carnem, quod de S. Jacobo minore in dubium revocat nemo. Sed qui hac in re elogii ſui poſuerunt fundamentum incertis innixi conjecturis, in natura quæſiverunt rationes ſingularis dilectionis, qua Salvator illum complexus eſt, cum Æterna hæc Sapientia illos attraxerit gratia ſua, ac privilegiis, quorum ipſe auctor erat, quemadmodum intelligere eſt ex his verbis: *Qui facit voluntatem Patris mei, ille meus frater, & ſoror, & mater eſt*: (*Matth.* 13.) quibus teſtatur, eum ſibi arctioribus vinculis conjunctum eſse, qui Patris ſui voluntatem exequitur, quam alius quilibet cognationis jure licet arctiſſimo ſibi devinctus.

Cur Dominus noſter paſſionem ſuam calicem dixerit.

Sanctus Auguſtinus præclaram affert rationem, propter quam Dei Filius Paſſionem ſuam dixerit Calicem. Ait enim, ſicuti in more poſitum erat, ut in conviviis calix aſsumeretur, ex quo omnes filii haurirent, ut intelligerent ſe participes futuros hereditatis paternæ; ita Paſſionem ſuam a Domino calicem vocari, ut oſtendat omnes filios ſuos ejuſdem eſse debere participes. Et ſane, Sancti omnes ex hoc calice biberunt; nemo enim eorum eſt, qui aliquam ex paſſionibus Jeſu Chriſti particulam non hauſerit; Martyres vero potiſſimum in cruciatibus, quos perpeſſi ſunt, acerbiſſimas illius fæces potarunt. Hi ſunt, qui laverunt ſtolas ſuas in Sanguine Agni, & qui ſacro hoc ebrii facti ſunt mero, quo Eccleſiæ torcularia in perſecutionibus redundarunt, ut S. Auguſtinus ait. Inter autem hos Martyres quidam cum iis paſſi ſunt circumſtantiis, quæ propius ad Salvatoris paſſionem acceſserunt, & hac de cauſsa majori cum amaritudine Calicem biberunt. Hoc in numero eſt S. Jacobus: mortuus eſt uti Jeſus Chriſtus Jeroſolymæ; non ſecus ac ille traditus fuit Sacerdotum invidiæ, & furori populi. Herodes illum capite damnavit, ut eorum gratiam iniret non ſecus ac Pilatus Jeſum accuſatorum odiis tradiderat. Pepercit ipſe quoque, ut Salvator moriens, inimicis ſuis, & pro interfectoribus ſuis preces effudit; ac eodem fere modo ac Dei Filius, prodigia operatus eſt, cum prope fuit, ut animam efflaret. Verum eſt, alios Martyres diutiores gravioreſque fortaſse cruciatus pertuliſse; ſed cruenta Martyrii via jam erat complanata; Salvatoris veſtigia, & eorum, qui eadem legerant, arctam, aſperrimamque Calvarii viam, ut ita dicam, ſtraverant, latioremque præbuerant. In ſacri Montis hujus cacumine videbatur Jeſus caterva generoſorum militum ſtipatus, qui ſuo purpurati ſanguine, manibus ſuis palmas geſtantes animos faciebant illis, qui in hoc itinere ſpinis conſito incedebant, ac in anteceſſum victoriam illis certam polliceri videbantur. S. vero Jacobus præter Protomartyris S. Stephani exemplum, a quo confirmaretur, habebat neminem, & calicis hujus amaritudo nondum dulcorata, atque imminuta fuerat magno Martyrum numero, qui poſt Apoſtolum noſtrum illum biberunt.

Quamvis petitio a SS. Jacobo & Joanne per Matrem facta, ambitioſior paullo videatur; nihilominus cum non omne ambitionis genus damnandum ſit, aliqua inveniri poſſet excuſationis cauſſa in his fratribus, ſi eorum ambitio ad Deum coordinata fuiſſet. Ambierunt illi primos recubitus apud Filium Dei, ubi regnum fuiſſet adeptus. Nihil profecto optabilius eſt, quam apud talem Dominum, & Magiſtrum primum gratiæ obtinere gradum, & hoc deſiderium ſane reprehendendum non eſt, ſi illud de primis Cæleſtis regni ſubſelliis intelligatur; quandoquidem ipſe Jeſus Chriſtus nos hanc fovere docet Sanctam cupiditatem. *Adveniat Regnum tuum.* Fatendum eſt tamen, utrumque fratrem ad primas regni terreſtris ſedes ſpectaſſe, adhuc communi Judæorum errore irretiti, exiſtimantium, thronum David Meſſiæ in Scripturis promiſſum, fore thronum materialem; quæ res in cauſſa fuit, ut Apoſtoli adhuc rudes, (nondum enim acceperant Spiritum Sanctum) a Salvatore percontarentur, num id eventurum eſſet eo tempore, quo ipſe Regnum Iſrael reſtituet. Fratrum ergo petitio fuit paullo ambitioſior; ſed cum Salvator in eos miſit Spiritum Sanctum, illi ambitionem ſuam caſtigarunt, cupientes ſe quidem in cæleſte regnum admitti, ſed eadem via, qua ipſe quoque illuc fuerat ingreſſus.

Cur Jacobus, & Joannes dicti fuere *Boanerges*.

In eam adduci nequeo ſententiam, ut exiſtimem, nomen Boanerges impoſitum fuiſſe a Dei Filio Sanctis Jacobo & Joanni, quia petierunt, ut ſi per illum ſibi liceret, cæleſtem ignem de cælo in Samariam elicerent; quia Samaritani prohibuerant, ne per urbem hanc pertranſirent. Hanc tamen cauſſam nonnulli tradunt Auctores. Mihi vero magis rationi conſentaneum videtur, appellationem hanc tamquam honoris titulum ipſis inditum fuiſſe, qui in ipſis ſingulare quoddam meritum indigitaret; quod S. Marcus videtur non dubie ſignificaſſe, cum nomen hoc ſimul cum S. Petri nomine conjunxit, quæ tamquam præcipuum jus tribus hiſce Apoſtolis collata fuere. A veritatis autem ſpecie abhorret, Salvatorem hunc honoris titulum illis detuliſſe ob factum parum caritati erga proximum noſtrum habendæ conforme, quod ipſe etiam improbavit, & de quo illos corripuit dicens: neſcitis qui vos ſpiritus agat: *Converſus increpavit illos dicens: neſcitis cujus Spiritus eſtis.* (*Luc.* 9.) Non ideo putes malam fuiſſe mentem eorum, quaſi a zeli fervore non procederet; ſed zelus hic paullo violentior erat, ac imprudentior: nam ut illis Dei Filius dixit; filius hominis non venit, ut animas perderet, ſed ut eas ſalvas faceret. Hic tamen zelus in ſe laude dignus erat, quandoquidem proficiſcebatur ab amore, & obſervantia erga Magiſtrum ſuum, cui illatam injuriam ulciſci cupiebant. Hinc ille eos increpavit ut erudiret, non autem ſolum, ut eorum zelum damnaret.

Si vera eſt S. Epiphanii conjectura, S. Jacobum antequam eſſet Filii Dei Diſcipulus jam præcurſoris ejuſdem S. Joannis Baptiſtæ Diſcipulum extitiſſe, & unum ex illis fuiſſe, quos Sanctus hic ad Salvatorem legavit, ut ex ipſius ore intelligeret utrum eſset ille, qui per tot ſæcula expectabatur: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* (*Matth.* 11.) & nonniſi poſtquam illi, a quo miſſus fuerat, ſumma officii fide retulit, quod viderat, & audierat; novum hunc Prophetam vere eſse ſpem Iſrael, tandem a prioris Magiſtri ſchola ad ſcholam hujus recentis migraſse; nonne hæc eſſe potuit cauſsa, propter quam Mundi Salvator novo huic Diſcipulo præberet aliquod benevolentiæ, atque prælationis argumentum; quandoquidem ſe ſe illi ſubjiciebat, eo quod illum in honore habebat, ac plurimi æſtimabat?

S. Jacobus cum pollicitus eſſet ſe Calicem Salvatoris bibiturum, fidem præſtitit.

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Poſſumus. Veritas eſt in Religione ſatis comperta non aliam eſſe viam, qua in Cælum ingredi valeamus, quam viam tribulationum. Verum Mundi Salvator illam divinius explicare non poterat, quam hiſce verbis reſpondens petitioni parentis hujus ambitioſæ, quæ illi utrumque exhibens filium, inquit; Domine, cum gloriæ tuæ poſſeſſionem fueris ingreſſus, præcipe, ut horum alter ſedeat ad dexteram tuam, alter vero ad ſiniſtram; Jeſus Chriſtus ad utrumque converſus quæſivit ab eis, utrum poſſent paſſionis ſuæ calicem haurire, *Poteſtis bibere calicem?* quaſi dixiſſet illis: Primos in Regno meo recubitus petitis; verum ſcitote fieri nequaquam poſse, ut mecum in cælis regnetis, niſi mecum etiam in terris patiamini, & nunquam vos pares futuros, qui ex eo deliciarum torrente bibatis, quem fidelibus ſervis reſervo, niſi & vos partem bibatis fellis & aceti, quod mihi in terris bibendum eſt: *Poteſtis bibere calicem?* Alter ex his filiis erat glorioſus S. Jacobus, qui generoſe cum fratre reſpondit, ſe poſſe; *Poſſumus*. Et datam liberavit fidem; non enim amarum hunc bibit calicem; ſed illum avide, non ſecus ac Salvator, exhauſit.

Doctrina J. C. de ambitione, & dominandi deſiderio.

Hæc maximæ utilitatis doctrina eſt, quam J. C. Apoſtolis ſuis tradidit, & quæ legitur in Evangelio ſtatim poſt petitionem illi factam pro duobus Filiis Zebedæi. Dei Filius arceſſivit Apoſtolos, eiſque dixit: *Scitis, quia principes gentium dominantur eorum.* Hæc imago eſt eorum omnium, qui cæcas cupiditates ſuas ſequuntur, qui elatiores dignitatum gradus conquirunt, qui inter ceteros eniteſcere cupiunt, aliiſque imperitare oblectantur. Salvatoris Diſcipulus poteſtne hos ſenſus fovere? Judicium ex ipſiſſimis illius verbis ferre poſſumus: *Non ita erit inter vos.* Hoc eſt, apertiſſime, quicumque cæcarum gentium exemplo dominari vult, habet imperandi cupiditatem, non poteſt eſse Diſcipulus Jeſu Chriſti; quoniam humilitas, & crux ſunt eorum caracteres, qui pertinent ad ipſum; opus eſt, ut ex eodem calice bibant ac ille, ut illius Diſcipuli fiant, quemadmodum ille S. Jacobo, & fratri dixit: *Poteſtis bibere calicem.*

Fides haberi poteſt traditioni conſtanti S. Jacobum in Hiſpania fuiſſe, & nihil eſt quod opinione ſuam valeas labefactare.

Supponendum eſt, poſt Domini Aſcenſionem, & Spiritus Sancti dilapſum Apoſtolos nequaquam ſtatim per Provincias huc, illucque fuiſse diſperſos: ſed aliquos annos in Judæa, Galilæa, Samaria commoratos fuiſse, ut illic Evangelium prædicarent, & animas Filios Dei lucrarentur, quod facile colligitur ex iis, quæ a S. Luca narrantur in Actibus Apoſtolorum. Intra hoc temporis ſpatium S. Jacobus poſtquam una cum ceteris operam navavit, ut ſuæ Nationis homines converteret, migravit in Hiſpaniam, ubi aliquot annos permanſit: & licet ſingillatim nos fugiat, quinam fuerint labores illius, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, ibi annuntiaſse Jeſum Chriſtum, pluresque mortales convertiſse: ipſa regionis, & Eccleſiarum Hiſpanicarum traditio teſtatur ipſum aliquot in Ceſarauguſtana Provincia Eccleſias conſtituiſse. Adverſantur nonnulli huic ſententiæ, ſibique perſuadere nequeunt S. Jacobum eo uſque gentium pervaſiſse; ſed locorum traditio ſufficiens eſt argumentum; & rationi conformius eſt credere pie ea, quæ poſsunt fidem noſtram ædificare, quam ſuperbe negare.

Mundi Salvator primi fecit S. Jacobi.

Liquet Dei Filium peculiari honore proſecutum fuiſſe S. Jacobum, & ſi minus hic poſt illum proximam ſedem aſſecutus eſt, tamen adeo ſpectabile tenuiſſe locum, ut non eſſet, cur ille aliorum ſorti invideret; & non niſi naturali quodam deſiderio, cui nimis indulſit, adactum, matrem impuliſſe, ut pro ſe primam in Regno Magiſtri ſui ſedem deprecaretur, quin cogitaret ea, quæ ſibi utiliora petere poterat. Fortaſſe etiam videns ſibi rebus in omnibus Magiſtrum facere, & in pluribus

bus etiam reliquis Diſcipulis ſe ab eodem præferri, timuit, ne amitteret gradum, quem in corde illius obtinebat, & ne ab illius excideret gratia, cumque felicitati ſuæ nihil deeſſet, niſi eadem æternum frui poſſe, petebat ſolum, ut jugiter eadem frui ſibi liceret.

Error in quo erant Apoſtoli ante Spiritus Sancti lapſum, exiſtimantes ſe mereri Dona Dei, & vana eorum in propriis viribus confidentia.

Unus ex præcipuis erroribus, in quibus duo Zebedæi filii verſabantur, hic erat, quod arbitrati fuerant ambitu, & gratia primos in Regno illius honores poſſe obtineri. Credebant Dei Filium in munerum ſuorum diſtributione, iiſdem hærere principiis, quibus inſiſtere homines conſueverunt; & primas regni dignitates illis eſſe deferendas, qui ob humanas rationes aliis præferendi videbantur. Jeſus Chriſtus, ut illis eorum errorem oſtenderet, Sermonem inſtituit de paſſione ſua; paſſio quippe vera eſt via, qua aditus pateat ad gloriam. Dixit autem illis: *Poteſtis bibere calicem, quem bibiturus ſum?* Textus Græcus, & S. Marcus addunt, *& Baptiſmo, quo baptizor, baptizari?* Per calicem intelligit Jeſus Chriſtus Calicem paſſionis ſuæ: eidemque paſſioni baptiſmi nomen tribuit. In Evangelio ubi de paſſione ſermo eſt, legimus: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor uſque dum perficiatur.* (*Luc.* 12.) Cum ergo Salvator duobus hiſce Diſcipulis ait, poteſtis bibere calicem &c. hoc eſt poteſtis participes fieri paſſionum mearum? Poteſtis bibere, ut ego bibam, calicem amaritudinis, & ignominiæ? Reſponderunt Diſcipuli: *poſſumus*. Deſiderium obtinendi, quod petierunt, illis perſuadet, ſe pares eſſe, qui omnia audeant, & exequantur. Si ſe collegiſſent, ſi cognoviſſent imbecillitatem ſuam, ne illi quidem adeo temere, fidenterque reſponſum dediſſent. Apoſtoli antequam Spiritus S. deſcenderet, credebant ſibi multum fortitudinis eſſe, cum multum eſſet imbecillitatis. S. Petrus Salvatori dicebat: *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* (*Matth.* 26.)

Omnes etiam Apoſtoli credebant ſibi ſatis roboris eſſe, ut inter graviſſima pericula amoris ſui argumenta præſtare poſſent Filio Dei, ſed illorum ignavia, turpiſque fuga effecit, ut palam cognoſcerent ipſos fuiſſe deceptos, ac nimis in viribus ſuis confidiſſe. Hoc illud magnum diſcrimen eſt, quod ſuperbum inter, ac humilem invenitur. Superbus ſe multa poſſe arbitratur, cum interim non niſi imbecillitatem obtineat. Humilis autem de ſe ipſo diffidit, & diffidentia hæc eſt cauſſa fortitudinis ipſius, quoniam ipſa huic Domini gratiam promeretur, cum qua poteſt omnia. Diverſa in Apoſtolis agendi ratio pro iis temporibus, quibus in ſe præſumebant, & quibus ſinceram fovere inceperunt humilitatem, præſtantiſſimum eſt veritatis hujus argumentum. Quanta enim fuit virtus Apoſtolorum, poſtquam Spiritus Sanctus eos docuit de ſe ipſis diffidere, omnemque fidentiam ſuam in Jeſu Chriſto collocare? Nemo ex illis fuit, qui calicem Domini bibere cupidiſſime non peroptaverit.

Pauci Mortales, quos a S. Jacobo dicunt fuiſſe in vita converſos, non imminuunt quidquam, de gloria, & remuneratione illius.

Unum dumtaxat videtur gloriam Apoſtolatus S. Jacobi deterere, idque eſt, quod dum Apoſtolatus ſui munere perfunctus eſt, paucos ad Jeſu fidem converterit. Sed tantum abeſt, ut hoc vel minimum aliquod gloriæ ejuſdem efficiat, ut dicere poſſimus, huic Apoſtolatus ſui peculiarem eſse caracterem, & propriam miniſterii ſui qualitatem, ipſum videlicet Apoſtolum fuiſse inflexibilem, fidelemque Miniſtrum. In hoc etiam particeps extitit calicis Domini: quid enim, quæſo, ex eo cruentum ſudorem illum in horto Olivarum expreſſit? niſi quod videbat, calicem, quem jam jam amatiſſimum bibiturus erat, pleriſque mortalibus inutilem futurum? Sanguinem hunc quem effuſurus erat, quo ſexcenti ſervari potuiſſent Mundi, carnificum pedibus conculcatum iri; quam ob rem dixit: *Tranſeat a me Calix iſte.* Cum Sanctus noſter Apoſtolus adeo modicum ex miniſterio ſuo fructum retulerit, duplicem laborem paſsus eſt, ideoque uberiorem meritorum retulit meſsem, S. Paulus ait ſe magis quam alium quemlibet Apoſtolorum laboraſse: *Abundantius illis omnibus laboravi.* (1. *Cor.* 15.) Sed alio in ſenſu gloriari poteſt S. Jacobus ſe magis, quam alios laboraſse: & dicere poſsumus: ſi S. Paulus in anguſtiis, laboribuſque ſuis magnum hoc habuit conſolationis argumentum, quo videlicet utiles fuerant labores ſui propter converſionem populorum, qui eo prædicante Jeſu Chriſti fidem amplectebantur, propter tot Idolorum delubra diruta, propter tot Templa in Dei honorem ædificata; cum S. Jacobus inutili niſu fuerit operatus, in hoc etiam modo magis peculiari amaritudines calicis Dominici guſtavit.

S. Jacobi gloria eſt bibiſſe Domini calicē ante alios Apoſtolos.

S. Jacobi meritum eo glorioſius inſigniuſque eſt, quod primus fuit, qui ex Apoſtolorum numero pro Jeſu Chriſto mortem ſubierit. Qui magnum aliquod, & maximi momenti facinus aggrediuntur, majorem præ ceteris gloriam duplici potiſſimum ex cauſſa merentur. Primum quia primas experiuntur difficultates, quæ in magnorum conatuum initio paſſim occurrunt; ſecundo quia qui eadem inſiſtunt via, illam ſtratam, & complanatam inveniunt. Ita S. Jacobus Apoſtolorum primus primum Judæorum furorem ſuſtinet, & exemplo ſuo alios ad ſequendum hortatur. Virtus ejus illorum ſibi conciliat reverentiam, & ex parte cauſsa eſt eorum conſtantiæ, qua ipſius veſtigia ſequuntur. Hic ergo Apoſtolus duplicem meretur coronam. Recipit immediate ex manu Salvatoris calicem, eumque poſt illum bibens, omnem ejus amaritudinem guſtat. Sed Apoſtolus noſter non ideo ceſsat haurire illum ea conſtantia, quæ decet verum tanti Magiſtri Diſcipulum; atque ita liberat fidem, qua una cum fratre ſe ſe obligaverat Salvatori, cum generoſe reſpondit: *Poſſumus*. Hoc pollicitus eſt Dei Filio, & incomparabili generoſitate illius Calicem hauſit.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis recentibuſque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Videtur Dei Filius SS. Jacobo & Joanni ea conceſſiſſe, quæ illorum mater pro iiſdem poſtierat.

Recogitanti mihi glorioſa ea privilegia, quibus Sancti Jacobus & Joannes perfruuntur, videntur illi quidem primas in Jeſu Chriſti regno ſedes obtinuiſse, quas eorum ambitioſa mater olim in ipſorum gratiam depopoſcerat. Hi duo fratres fuerunt, maxime neceſſarii cogitationum ejus participes, ſinceriſſimi miraculorum ejus teſtes, & fideliſſimi laborum ejuſdem ſocii. Nihil illi ſecretum fuit, quod his non aperuerit; nihil magnum operatus eſt, quod coram illis non fecerit; nihil triſte perpeſſus eſt, cujus in partem illos non vocaverit. Didicerunt in Thabor, quod ille in omnem præparat æternitatem iis, qui in tempore fideliter ipſi deſerviunt; viderunt in Archiſynagogi domo filiæ hujus reſurrectionem; neque in Olivarum horto mortalem Magiſtri ſui agoniam videre potuerunt, quin lacrimas ſuas commiſcerent rivulis ſanguinis undique ex venis ejuſdem manantis: Et ſi fas eſt de cæleſti eorum felicitate conjecturam facere, ex favoribus qui in Eccleſia acceperunt, quin reliquis Apoſtolis inferatur injuria, credere poſsumus illos non minus participes eſſe in Cælo gloriæ Magiſtri ſui, quam fuerint in terris ſecretorum, miraculorum, atque paſſionum. *P. Senault Oratorii Presbyter.*

Salvator SS. Jacobum & Joannem in Diſcipulorum ſuorum albo recenſes plus illi contulit, quam petierant.

Ambitio, fatendum eſt enim, S. Jacobum impulit, ut per matrem primos in Jeſu Chriſti regno gradus ſibi depoſceret: ſed in Filio Dei prædilectionis prorſus ſingularis pignus fuit, illi plus quam petierat conceſſiſſe, licet in gratiam illius nil præſtitiſſet aliud, quam ipſum inter Diſcipulos ſuos adnumerare: hæc enim eſt ſatis ampla prælatio, ut ſecernatur a tot aliis populi ſui, quibus eam gratiam non contulit: *Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis;* (*Pſalm.* 147.) gratiam profecto adeo ſpectabilem, ut nullum ſceptrum, nullum regnum, nullum ſit tantum bonum, quod ne comparari quidem valeat cum illo. Si enim ex Apoſtoli ſententia Judæi fuerunt populus electus, propter ea, quæ illis promiſſa fuerunt, atque incomparabilem felicitatem, qualis extitit Hominem Deum poſſediſse, quamvis ingratus ille populus ignoraverit, nullumque ex tanto hoc bono fructum perceperit; dicite quæſo, quæ honoris, & benevolentiæ prælatio fuit hæc illis, quibus ſingulari ratione ſe tradidit cognoſcendum? quos luminibus ſuis illuſtravit, quibuſque abditiſſima, & maxime invia ſua myſteria detexit? Tales fuere illius Diſcipuli, quos habuit miraculorum ſuorum teſtes, ſecretiſſimarum ſuarum cogitationum participes, legis ſuæ Præcones, & veluti Regni ſui Fundatores. Horum erudiendorum ipſe curam ſibi delegit, his doctrinam ſuam tradidit, his uſus eſt ad alios erudiendos, & Evangelium ſuum nuntiandum; ideoque eos amicos ſuos nuncupare dignatus eſt: *Jam non dicam vos ſervos, ſed amicos; quia quæcumque audivi a Patre meo nota feci vobis.* (*Joann.* 15.) *Ex auctore Sermonum in omnia Argumenta.*

Petitio facta Duo duorum primorum graduum in regno illius non tam a matris, quā a filiorum ambitione profecta eſt qui nondum Magiſtri ſui præcepta callebant.

Major inveniri nequit ambitio, quam ea quam Mater hæc progreſſus filiorum ſuorum cupidiſſima præ ſe tulit; ſed reor errorem, qui illi communis erat cum reliquis omnibus nationis ſuæ de magnitudine temporali Meſſiæ, æque ſaltem huic petitioni contuliſse, ac maternum amorem ambitioſamque cupiditatem videndi filiorum ſuorum honorem. S. Ambroſius, & S. Hieronymus matris hujus temeritatem excuſant propter opem, ac ſubſidium, quod ex utriuſque filii laboribus percipiebat, qui erant familiæ columen, & quibus ſe orbam videbat, eo quod conſenſum illis præſtiterat, ut Salvatorem ſequerentur, & ex numero eſſent diſcipulorum illius; ita ut repararet quodammodo jacturam, quæ non modica fuerat, ſi illi hunc ſaltem honorem obtinuiſsent, ut propius ad illum accederent, quemadmodum illis acciderat, ut primi illum cognoſcerent, & ſequerentur. Sed veritas eſt, matrem hanc numquam auſuram fuiſse proprio conſilio, imprudenter ac intempeſtive hoc petere, niſi auctores ſuaſoreſque extitiſſent iidem filii, qui nondum humanis infirmitatibus liberati quod deinceps contigit, materno niſi ſunt ore, ut a Dei Filio, hoc honoris, & benevolentiæ ſpecimen conſequerentur. Dei Filius nequaquam repulit matrem cum aſperitate, cumque non poſſet illi, quod vehementius optabat, concedere, quippe divinæ ordo ſapientiæ non ſinebat, reſponſurus ſeſe convertit ad filios, qui nondum ſatis in Divini Magiſtri ſchola didicerant effatum illud totius Chriſtianæ diſciplinæ fundamentum, quod ſtatim illis in arena explicuit, dicens illos, quod ſibi peterent ignorare; ampliſſimos locos, quo contendebant efferri, non niſi meritis tribui; & poſtmodum ad eos loquens tamquam magiſter, qui Diſcipulorum ſuorum errata novit redarguere, quæſivit ab eis, utrum bibere poſsent calicem paſſionis ſuæ, quod omnino neceſsarium erat ad tam præclaram mercedem referendam: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Idem.*

Hoc petentes diſcipulis temporale tantum Salvatoris regnum ſpectabant.

Licet S. Jacobus hoc dumtaxat munus, & inſigne beneficium a Salvatore accepiſset, ut in albo Diſcipulorum ejus adſcriberetur, nonne longe meliorem obtinuiſset partem, quoad æternam beatitudinem, quam ſi ad dexteram, vel ſiniſtram illius in eo temporali, chimæricoque regno ſediſset, quale arbitrabatur, futurum eſse regnum Meſſiæ tandiu expe-

BIBLIOTECA CENTRAL

pectati? Neque enim puto, inſignem hunc Sanctitate virum, qui deinceps fuit in myſteriis Regni Dei illuminatus adeo, tunc aliud ſpectaſse, niſi terræ hujus regnum, vel aliud de Meſſia habuiſse conceptum præter eum, quem vulgo ævi illius homines habebant, qui hunc ſibi fingebant, potentem, ſupremumque Regem, qui populum Iſrael eſset a ſervitute liberaturus, aliaſque gentes ſuo ſubditurus imperio. Hac de cauſa Sancti hujus ambitio intra hos cancellos continebatur, ut commentitii hujus regni princeps fieret, vel ſaltem in eo aliquem ex præcipuis honoribus obtineret. Nec mirum eſt, quod in adeo craſsum errorem inciderit, quoniam alii Diſcipuli hunc abjicere poſt Domini Reſurrectionem potuerunt; quod illa probatur interrogatione, qua ab illo ſiſcitati ſunt, utrum regnum Iſrael in priſtinam dignitatem eſset reparaturus: *Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael?* (*Act.* 1.) Nonne ampliorem nactus eſt dignitatem electus in Salvatoris Diſcipulum, regni filium, Dei ejuſdem heredem, coheredem autem Jeſu Chriſti; quippe tituli iſti debentur illis, qui electi, & prædeſtinati ſunt, & qui non alium propiorem cum illo nexum habent, quam quod cum ſint illius ſervi, ſubditique, nihilominus filii Dei renuncupentur. Quem igitur apud eum obtinet locum, qui præter hanc qualitatem fidelibus omnibus communem, vere etiam fuerunt diſcipuli ejus, in illius ſchola innutriti, & qui Evangelica inſtituta ex divini hujus Magiſtri labiis exceperunt? Illius aſseclæ fuerunt, illum ſemper ſubſecuti ſunt. Quod ſi ſervire Deo, regnare eſt, nonne aliud etiam magnitudinis S. Jacobi argumentum eſt, unum fuiſse ex dilectis ejus diſcipulis, quibus majorem neceſſitudinem, ac familiaritatem teſtatus eſt? *Idem.*

Quodnam apertius amoris ſui monumentum poterat Dei Filius S. Jacobo tribuere, quam illum ſibi lateri ſuo inhærentem tenere, non ſecus ac Joannem fratrem illius; qui hac de cauſa dilectus ejuſdem diſcipulus appellabatur; quam illum habere velle teſtem inſigniorum miraculorum ſuorum; quam illi maximi momenti ſecreta committere; verbo, quam unum eſse ex tribus illis, quibus Salvator majorem neceſſitudinem, ac magis ſingularem benevolentiam ſe habere ſignificaverit? Ipſe unus extitit ex illis, quorum nomina immutavit Salvator propter ea, quæ de ipſo habebat, conſilia, hunc tonitrui filium appellans. Hic interfuit reſurrectioni filiæ Jairi, quo miraculo cœpit Jeſus præbere ſuæ miſſionis documenta. Teſtis ille fuit una cum S. Petro, & S. Joanne Transfigurationis Dominicæ, quæ in vertice Thabor accidit. Sed eximius favor, & ſingulare Jeſu Chriſti erga S. Jacobum affectionis argumentum fuit, eumdem elegiſse teſtem mortalis agoniæ, quam in Olivarum Horto paſsus eſt, cum præ mœroris magnitudine, & amaritudine cordis ſui aqua manavit & ſanguine, quem ex membris ejus vivida cruciatuum, ac mortis, quæ ob oculos illius verſabatur, cogitatio vehementer elicuit. Dicere merito poſsumus generatim, ubicumque Salvator aliquod poteſtatis ſuæ edidit ſignum, quatenus Deus, vel ſuæ infirmitatis quatenus homo, voluiſse, ut S. Jacobus ibi præſens adeſset. Quod certiſſime oſtendit quanti hunc faceret ille, & quem ille inter ceteros diſcipulos locum teneret; Alia Divini hujus Magiſtri erga ipſum merita; aliaque privilegia, quibus Sanctus hic quatenus diſcipulus a Dei Filio auctus, ornatuſque fuit, ſatis ſuperque ſupplere poſsunt illi deſiderio, quo flagrabat primam in Salvatoris regno ſedem obtinendi. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*, &c.

Vocatum fuiſſe ad Apoſtolatum idem eſt, ac poſitū fuiſſe ad dexterā Filii Dei in regno illius, quod eſt Eccleſia.

Licet S. Jacobus a Jeſu Chriſto non aliud prædilectionis ſignum accepiſſet, quam hoc, quo ad Apoſtolatum vocatus fuit, ac receptus in numerum eorum virorum, qui a Deo electi, vocatique fuerunt, ut hoc in gradu collocarentur; nonne hoc fuiſſet quodammodo illum ad dexteram illius in regno ejuſdem eſſe conſtitutum? Immo non eſt plura obtinuiſſe iis, quæ petita erant, vel quæ umquam ſperari potuerant? Si ille cognoviſſet honorem, quo a Dei Filio afficiebatur, vel potius fuerat affectus, nonne ultra centuplum reparata fuiſſet jactura, quam pati potuiſſet mundum relinquens; quandoquidem hoc ille Sanctis Petro atque Andreæ pollicitus fuerat, ut eos ad ſui ſequelam pertraheret, dicens futurum, ut ii, qui erant piſcatores piſcium, poſtmodum fierent piſcatores hominum? Hoc enim erat miniſterium, cui Sanctum noſtrum æque ac alios deſtinabat, in quo ſitus eſt Apoſtolatus; homines ad Deum pertrahere, eorumque ſalutem procurare, quod a Sancto Dionyſio munus diviniſſimum appellatur; hoc enim ipſius Filii Dei munus eſt: *divinorum omnium diviniſſimum*. Sed quænam eſſe debet Sancti Jacobi gloria, non ſolum fuiſſe ex numero duodecim, quos Deus reliquis omnibus prætulit, ſed inter ipſos Apoſtolos inſignem locum obtinuiſſe? Et ſi minus fuit ille princeps, & caput, quæ fuit S. Petri prærogativa, aliis ſane affectus fuit privilegiis, propter quæ una cum S. Paulo dicere potuit: *Exiſtimo nihil me minus feciſſe a ceteris Apoſtolis.* (2. *Cor.* 11.) *Idem.*

Quomodo hic Apoſtolus cum Dei Filio operā laboremque diviſerit.

Pauciſſima ſunt ea, quæ de tempore, quod S. Jacobus in Jeſu Chriſti comitatu tranſegit, nobis explorata ſint, niſi quod partitus eſt cum illo labores ſuos, itinera, vigilias; quod cum eo Judæam, Samariam, Palæſtinam peragravit. Viſus eſt modo plenus ſpiritu lenitatis, atque indulgentiæ pro peccatoribus, preces fundere pro Chananæa, & infirmis opem illius implorantibus; modo zelo ſuccenſus petere, ut ignis cælo demiſſus injuriam ulciſceretur, qua Samaritanorum inurbanitate Salvator fuerat affectus: modo avidiſſime intentus haurire optatiſſimi Inſtitutoris ſui documenta, tamquam rivum quemdam repleri aquis ſalutaribus doctrinæ ſuæ; modo populis annuntiare, quod aures ſuæ audiverant, quod viderant oculi, quod manus ipſæ contrectaverant de Verbo Vitæ, & uberrime effundere eas benedictionis aquas, quas gratis receperat. Oculatus Miraculorum Dei ſui teſtis, videbat curationes quas operabatur, & mortuos quos revocabat ad vitam. Socius tot variarum perturbationum, quæ adeo inæqualiter curſum vitæ illius partiebantur, illum admirabatur radiis gloriæ ſuæ redimitum in Thabor, eumque dolebat humiliatum aqua & ſanguine in Olivarum horto ſudantem. *Ex elogiis Hiſtoricis.*

In diſtributione nationū ab Apoſtolis facta, ubi quiſque fidem evangelizaret, S. Jacobo contigit Judæa provincia, ubi honos eſt accidit continuandi labores Filii Dei.

Non ſine Spiritus Sancti afflatu divinæque providentiæ conſilio aſſignatus fuit ſingulis Apoſtolis miſſionis ſuæ locus, diviſaque fuerunt Regna, & Provinciæ. Novimus populos, & nationes quo illi penetrarunt fidei lumen allaturi, & nihil in Scripturis apertius adimpletum occurrit eo Prophetæ vaticino: *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* (*Pſalm.* 18.) Sed in hac omnium nationum mundi partitione ſicuti Judæa fuerat dilecta natio, cui Dei Filius ſe primum manifeſtaverat, & unde inceperat homines illuminare, & pro qua eam rationem habuerat, quam pro reliquis terræ populis non habuit, nonne dici quoque poteſt illum ex Apoſtolis, cui obtigit eam provinciam excolere, præ reliquis omnibus feliciſſimum extitiſſe: quandoquidem electus fuit, ut labores ejuſdem Filii Dei perficeret, ſudoreſque ſuos miſceret cum ſanguine Magiſtri ſui, qui labores pro hominum ſalute ſuſcipiendos ab ipſa Judæa voluit incipere? Ad hoc miniſterium graviſſimum ſimul atque difficillimum electus fuit S. Jacobus. Opus erat viro, in quo zelus ſimul, ac meritum eniteſceret, vel potius viro, qui æque ac ille cumulatus eſſet Spiritus Sancti donis, ut electionis hujus pondus ſuſtineret. Ita eſt, magne Apoſtole; hæc erit pars tua; proſequeris magiſtri tui triumphos; veſtigiis ejuſdem inſiſtes; illum jam quocumque comitatus fuiſti, & quodammodo in eodem ſtadio cucurriſti. Noſti locos, & nationis hujus ingenium; Edoctus ipſo Salvatoris exemplo tenes, quænam tibi via tenenda ſit; & tamquam illius vicarius, vel ſucceſsor in munere adeo glorioſo, & ſancto; dicebat ille, cum tecum viveret, ſe non miſſum niſi ad oves, quæ perierant, vel periculum aderat, ut perirent, Domus Iſrael: Vade ergo, illarum præverte interitum; vade, eas terras excole, quas Salvator tuus ſuo rigavit ſanguine; vade, fruges, quas ille ſevit, mete. Meſſis tua ſatis erit ampla, ut zelum tuum exerceat, eique ſatis faciat. Aſſentitur Apoſtolus, & ſumma cum alacritate hoc excipit munus, non quod alio quovis ſit honorificentius, ſed quod difficilius. *Ex auctore Sermonum in omnia argumenta.*

Quomodo hujus Sancti Miſſio erat difficillima, & maximis periculis obſita.

Munus ad quod electus fuit S. Jacobus, non ſolum erat omnium glorioſiſſimum, verum etiam periculoſiſſimum, difficillimumque, cœptum enim jam fuerat, fideles perſequi; eoſque rapere ad Tribunalia, ut nova hæc Secta in ipſis incunabulis jugularetur. Contumeliæ, quibus affectus fuerat Salvator, eo quod primus ejuſdem Auctor fuerat, præſagium erat eorum, quæ expectanda erant ab illis, qui eum ſequerentur, & prædicare vellent novam hanc Religionem: ac tandem odium, quod populus ille conceperat contra Dei Filium, quem pro Meſſia habere noluerat, invictum erat obſtaculum progreſſui Evangelii, quod finem impoſiturum erat legi antiquæ, omnibuſque illius cæremoniis. Ceterum ignorare non poterat S. Jacobus ſibi adverſaturam eſse eamdem Synagogam, quæ tanto furore ad mortem uſque Dei filium fuerat perſecuta; ſibique rem fore adverſus eoſdem inimicos, Sacerdotes, Pontifices, Scribas, Phariſæos; aliis vero Apoſtolis decertandum eſſe dumtaxat contra ſuperſtitiones, cultumque inanium Deorum, ita ut hæ tenebræ, licet denſiſſimæ, ubi primi illuceſcerent radii fidei, evaneſcerent; & ſola rationis lumina cognoſcendam præberent Idolorum cultoribus cæcitatem, in qua permanſerant hactenus, ideoque laboribus eorum non defuturum fructum uberrimum, cum interim laborum ſuorum exitus æque dubius eſſet, ac periculum certum erat. Hæc nihilominus Apoſtolo S. Jacobo ſors obtigit, vel potius partem hanc illi deſtinavit Providentia exſortem, & veluti quoddam præcipuum jus ſuper alios Apoſtolos. Ita Sanctus noſter Apoſtolus uti ſcivit zelo ſuo tanto ardore miniſterium ſuum obiens, ut commota fuerit Judæa tota, atque in illius interitum conjuraverit, veluti in firmiſſimum Chriſtianæ Religionis columen, ac ferventiſſimum novæ hujuſce legis Concionatorem, qui eorum quidem ſententia videbatur penitus Legem Moyſis everſurus, cui arctiſſime inhærebant. Et ſane tanta in illum exarſit, ſæviitque perſecutio, ut hujus tempeſtatis vi cedere debuerit, & in remotiſſimis terrarum plagis inquirere ubi exercere poſſet zelum hunc, quo erat ſuccenſus, & ubi hæc tonitrui vox, cujus nomen gerebat, perſonaret. *Idem.*

Hoc in loco fateor, Hiſtorici, qui S. Jacobi vitam ſcriptis conſignarunt, abeunt in diverſa; alii enim aſſerunt, illum in Hiſpaniam, quæ mundi pars extrema eſt, conceſſiſſe; alii vero tenent, ipſum donec perſecutio deſæviret, latuiſse, ut poſtquam detonuiſset procella, tunc Apoſtolici miniſterii labores obire inciperet. Non fert animus iſtic tantam quæſtionem dirimere, in qua hinc, inde maximæ difficultates occurrunt. Verum enim vero cum Traditio, & vetera monumenta, quæ adhuc pia natio illa tuetur tamquam authenticas probationes adventus magni hujus Apoſtoli in regiones ſuas; cum inquam

quam Traditio hac in re ſit magni ponderis, cum numerentur etiam diſcipuli, quos habuit, & homines, quos convertit, hoc dubio procul ſatis ſolidum eſt fundamentum, ut aſſeramus, Magnum Sanctum hunc non minus adlaboraſſe, quam alii Apoſtoli, & gloriam habuiſſe annuntiandi Evangelium Judæis ſimul atque Gentilibus, effeciſſe, ut in extremis uſque terrarum plagis J. C. cognoſceretur; & ſi minus Deus hoc illi præſtitit ſolatium videndi Templa everſa, Idola confracta, crucem adoratam & idolorum cultores converſos; hoc ne minimum quidem Apoſtolatus ſui gloriam minuere. Deus labores intuetur, non laborum fructum, qui non pendet a nobis: *Ego plantavi, Apollo rigavit: ſed Deus incrementum dedit;* (1. *ad Cor.* 3.) dicebat S. Paulus inter feliciſſimos ſuarum prædicationum eventus. Hinc ipſum S. Jacobi Apoſtoli exemplum utiliſſimum eſt documentum illis, qui glorioſo huic miniſterio operam navant; ut Deo permittant laborum ſuorum exitum, & animos non deſpondeant, ſi minus fructus magnis laboribus ſuis reſpondent, vel ſi minus e voto cedunt conatus ſui, Deus in meritorum noſtrorum remuneratione reſpicit intentionem, & zeli magnitudinem, non autem exitum, & effectum operum noſtrorum, quem præſtare noſtrum non eſt. *Idem.*

Obtigit S. Jacobo, ut Apoſtolorū omniū primus biberet Calicem Domini & propter amorem illius ſubiret Martyrium.

S. Jacobus primus extitit, qui ex Apoſtolorum numero particeps factus ſit Calicis filii Dei; videlicet, qui primus propter nomen, & gloriam Magiſtri ſui Martyrium ſubierit, non ſecus ac S. Stephanus primus fuit ex Levitis. Quis autem ignorat, quod primum in certamen deſcendiſſe, aliiſque ſtraviſſe viam, ea circumſtantia eſt, quæ meretur honoris prærogativam, quam alii exæquare non poſſunt; quia hi veſtigia dumtaxat ſequuntur illius, qui ſibi præbuit exemplum primus omnes exhauriens difficultates, omneſque obices removens? Hunc igitur honoris gradum, hanc prærogativam, atque coronam meretur S. Jacobus, qui magnus eſt in Eccleſia, quod unus fuit ex primis Apoſtolis, ſed majus adhuc coram Deo, quod primus omnium ſuum ſanguinem fudit; nunc enim reſpondere merito poteſt Salvatori, qui ex eo quæſiverat, utrum poſſet bibere calicem ſuum: *Poſſumus.* Ita eſt, poſſum; quia reapſe bibi illum. Hoc quidem incomparabile tuum in me exiſtit meritum, quod dignum me cenſuiſti, qui propter amorem tuum aliquid ſuſtinerem; ſed quod nunquam ſperare auſus fuiſſem, neque mihi polliceri, hoc eſt, quod primus hunc Calicem biberem. Adhuc impreſſa erant veſtigia labiorum tuorum, cum mihi contigit poſt te labia mea admovere; ſed tu mihi plura iis, quæ petieram, conceſſiſti. *Idem.*

Quam glorioſæ fuerint circūſtantiæ Martyrii S. Jacobi.

Aliæ circumſtantiæ Martyrii S. Jacobi non minorem in laudem illius cedunt, quam hæc, quod Apoſtolorum primus mortem ſubiit propter illum, qui pro ipſo mori dignatus eſt: etenim eoſdem habuit perſecutores, ac ille; eoſdemque ex parte carnifices; quippe ad necem quæſitus fuit adnitente, ac urgente eodem populo, & fidei conſonum eſt, pleroſque eorum qui contra Magiſtrum conjuraverunt, eodem ſpiritu actos, eodemque furore concitos Diſcipuli quoque cædem procuraſſe. Nactus eſt Herodem, qui ut gentis illius gratiam ſibi conciliaret, quaſi aliter melius eidem gratificari non poſſet, quam efficiendo ut nomen, & memoria C. J. illius ſanguine deleretur, qui illius Legem, & Religionem Judææ univerſæ nuntiaverat. Apoſtolus hic ad tempus fefellerat furorem primi hujus nominis Chriſtiani perſecutoris; & hoc temporis intervallo creditur in Hiſpaniam migraſſe, ex qua vix in Judæam reverſus, ut ſuo muneri manum iterum admoveret, cum fortitudinem ſuam glorioſo martyrio inſignivit. Non defuit morienti occaſio exercendi magnificentiſſimum Miſericordiæ actum, cujus Salvator ipſe in Cruce poſitus exemplum reliquerat: veniam dedit illi ipſi, qui mortem illi procuraverat, ipſum Judicibus tradens; qui tamen deinde S. Apoſtoli conſtantiam admiratus, & gaudium, quod ille moriens pro J. C. ferebat præ ſe, ad Sancti pedes provolutus ſceleris veniam efflagitavit. S. Jacobus illum amiciſſime amplexus eſt, dedit ei pacis oſculum, atque oblectatus eſt illius ſocietate in morte obeunda; ita ut illi dicere potuerit, quod Dei filius dixit alterutri latroni ſecum commorienti: *Hodie mecum eris in Paradiſo;* (*Luc.* 23.) quoniam uterque generoſe cervices ſuas præbuerunt carnifici, qui illos in beatæ æternitatis poſſeſſionem induxit. *Idem.*

Similitudo mortis S. Jacobi cum morte filii Dei.

Inter Martyres quidam paſſi ſunt cum circumſtantiis, quæ ad illas Dominicæ Paſſionis proprius accedunt; ideoque calicem majori repletum amaritudine biberunt. Horum in numero S. Jacobus cenſetur; qui non ſecus ac J. C., mortuus eſt Jeroſolymæ, & cum eodem Sacerdotum, & Judæorum furori Sacrificatus fuit. Illum morte damnavit Herodes ut populi votis ſatisfaceret, quemadmodum Pilatus Salvatorem tradiderat odio illorum, qui in ipſum fictas criminationes ingerebant. Moriens ut olim J. C. pepercit inimicis, & pro illis, qui eum cruci affigebant oravit. Jamjam ſpiritum emittens non ſecus ac Dei filius miracula operatus eſt. Videntur alii Martyres diutiora, & graviora paſſi fuiſſe ſupplicia; ſed cruenta martyrii via jam complanata erat: Salvatoris, & eorum qui illum primi ſubſecuti fuerant veſtigia, anguſtam, & difficilem Calvarii ſemitam dilataverant. In vertice ſacri illius montis videbatur J. C. generoſorum militum corona circumdatus, qui ſuo purpurati ſanguine, palmaſque manibus ſuis præferentes hortabantur eos, qui in hac ſpinis oppleta incedebant via, ut macti animo ſuſceptum iter ſequerentur, eoſque in anteceſſum victoriæ certos facere videbantur. S. Jacobus vero, quo confirmaretur non aliud quam glorioſi Protomartyris habebat exemplum. Videtur ex ipſa immediate manu Salvatoris Paſſionis calicem accepiſſe; cujus amaritudo nondum mitigata, aut diminuta fuerat ingenti Martyrum numero, qui illum deinceps ſubſecuti ſunt. *Ex Specimine Orationum Panegyricarum.*

Sepulcrum Sancti Jacobi glorioſū eſt propter multitudinem miraculorum, quæ ibi fiunt.

Sepulcrum S. Jacobi glorioſum evaſit propter innumera miracula, quæ ibi in dies ſingulos fiunt: illud vero quod apertius oſtendit eam gloriam, cujus poſſeſſionem obtinuit, hoc eſt; quod viſus eſt Dominus, poſt ejus mortem id illi fuiſſe largitus, quod cum viveret illi negaſſe viſus eſt; videlicet plurimorum peccatorum converſionem, quibus ſuo apud Deum favore ſpiritum impetrat pœnitentiæ, & contritionis peccatorum. Ex hac parte nonnihil deeſſe gloriæ illius videbatur: Neque enim legimus plurimos dum viverent, infideles ab eo fuiſſe converſos; ſed ad hunc ſarciendum defectum, pauci ſunt in Cælo Sancti, qui majorem apud Deum poteſtatem obtineant, ad perfectæ converſionis gratiam peccatoribus impetrandam. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Magnus hic Sanctus mundo glorioſus in cælo non Hiſpaniæ tantū, ſed totius Chriſtianitatis protector eſt.

Hiſpania nequaquam ſola regio eſt, quæ honorem poſſidebat protectionis S. Jacobi; quandoquidem Ordines B. Mariæ Virginis de monte Carmelo, & S. Lazari ſibi gloriæ potiſſimum vertunt inter patronos ſuos hunc principem referre, ac data occaſione ſub ejus auſpiciis decertare. S. Ludovicus inter Galliæ Reges Sanctiſsimus ex omnibus Regni ſui inimicis victoriam non retulit, neque arma ſua in terram Sanctam traduxit, niſi hoc auſpice ac duce; namque, ſi penes vetuſtiſsimos Gallicarum rerum Scriptores fides eſt, pro vexillo extollit S. Jacobi imaginem cum ſigno Crucis intextam. Cum Sanctus hic Rex belli periculis patebat, ſimulque fungebatur munere Joſue contra Amalec dimicantis, & Moyſis in monte preces fundentis, præſertim petebat opem Sancti hujus Apoſtoli qui ſecreto præliabatur pro eo, dum Sanctus hic Imperator palam ope illius triumphos agebat. Gallorum erga hunc Sanctum pietas ducentos permanſit annos poſt obitum S. Ludovici, & conſueverant illius deferre imaginem in caſtra, ut oſtenderent, quantum in precibus ejus confiderent. *Ex Specimine Orationum Panegyricarum.*

PRO SANCTÆ ANNÆ PANEGYRICO
MONITUM.

NOn eſt cur queramus, nullum vel in Scripturis, vel in Eccleſiaſticis hiſtoriis illuſtre factum reperiri, cui Sanctæ Annæ Elogium poſſit inniti. Solus titulus Matris Beatiſſimæ Virginis, quæ Deum erat paritura, omnia excedit elogia, ac tantum virtutum, meritorum, & gratiarum in Sancta hac Matre ſupponit, ut eloquenti orationi numquam copia ſit defutura.

Neque operoſum eſt Sermonem hunc ad erudiendum aptum efficere moralibus animadverſionibus in circumſtantias quaſdam, quæ in dubium revocari non poſſunt, veluti in oblationem Sanctiſſimæ Virginis filiæ ſuæ, quo die hæc Templo fuit præſentata; in curam illius erudiendæ, cum adhuc tenella eſſet ætate; in optimum, quod eidem præbet exemplum, quæ totidem ſunt parentum erga ſuos filios officia.

Animadvertendum eſt dumtaxat; Concionatorem ad ſolius Sanctæ Annæ Panegyricum coarctantem, cum hoc permiſcere nequaquam poſſe Sancti Joachin Elogium, quamquam eorum gloria, munus, virtutes, & omnia bona illis fuerint communia; ita ut eidem Sanctæ Annæ Panegyricus mutato nomine eſſe poſſit S. Joachin encomium. Sed libentibus pro Sanctæ Annæ Elogio operam noſtram impendimus hac una de cauſſa: quia hoc frequentius inſtitui conſuevit, licet ea quæ collegimus æque utrique argumento valeant inſervire.